Pre-Linn
QK49.5
.A1
D62
1552

Remberti Dodo.

NAEI MECHLINIENSIS MEDICI DE FRVGVM Historia Liber vnus.

EIVSDEM EPISTOLAE DVAE.

Vna de Farre, Chondro, Trago, Ptisana, Crimno, & Alica.
Altera de Zytho, & Cereuisia.

Habet & musca splenem.

Et formicæ sua bilis inest.

Mo. Bot. Garden
1893

ANTVERPIAE.
Ex officina Ioannis Loei, M. D. LII.

CAROLVS QVINTVS DIVI-na gratia Romanorum Imperator semper Augustus. &c.

ANiuersis præsentes literas inspecturis ac audituris salutem. Exhibita nobis fuit supplicatio à Ioanne Loco Typographo, & Bibliopola Antuerpiensi, qua indicauit se cupere in communem vtilitatem excudere, atque distrahere, Leonardi Fuschij Herbarium, & emendatum & auctum diligentia & opera D. Remberti Dodonæi Medici clarissimi cum multis alijs eiusdem de eodem argumento scriptis, in quam rem intolerabiles in expurgandis Herbarum ad viuum figuris, & in excudendo facturus esset sumptus, Itaque à nobis animaduersa & petitionis æquitate cognita, illius supplicationi consensimus. annuimus nostris literis, vt prædictum Herbarium & alios de re Herbaria tractantes eiusdem Dodonæi libros excudat, atq; distrahat per omnes nostras ditiones, vt latius patet in originali: Interdicentes ne quis eadem imprimere aut distrahere audeat spacio decem annorum, sub pœna in literis contenta. Datum Bruxellis XXVII. Maij. Anno Millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, imperij nostri XXXII. Regnorum autem Castellæ & aliorum trigesimo sexto.

Subsignauit De la Torre.

SPLENDIDISSIMO MVLTIS-
que modis ornatißimo viro, D. Gerardo
à Veltwijck. Equiti aurato Impera-
toris Diui Caroli quinti Consilia-
rio, & aurei velleris Thesau-
rario. Rembertus Dodo
næus Medicus
S. P. D.

CVm D. Philippo Cobelio eruditione & iudicio præstanti viro tui amantißimo, quum superioribus diebus mihi sermo incidisset, Splendidiß. D. Velduice, de nostri temporis viris doctis, qui herbarum stirpiumque naturas admirarentur, aut earũ cognitionem studio aliquo prosequerentur, ac tu primus nobis, imo verò solus occurrisses, qui secretiorem illã planè diuinam & admirabilem Physices, ac Iatrices partẽ περὶ φυτῶν, cum omnis generis eximia eruditione, & linguarum cognitione coniungeres, cœpit me adhortari, & amicè admonere, vt me quoquo modo tibi insinuarem, & in amicitiam tuam memet dederẽ. Aiebat enim te esse (vt & docti omnes vno ore pronunciant) omnis humanioris disciplinæ singulariter peritum: in Philosophia, ac iuris prudentia versatißimum: linguarum plurimarum, etiam peregrinarum expeditißimam cognitionem habere: ineffabili beneuolentia præditũ: & præterhas tam insignes, & claras dotes, tã propenso animi ardore ad stirpium plantarumque cognitionẽ duci, vt plurimas orbis partes, Italiæ ferè omnes, Alpiũ aliorũq; mõtium præruptißima loca, corporis tui etiam periculo,

huius studio, atque desiderio peragraueris: sic vt non vulgarem, sed perfectißimam stirpium cognitionem tibi paraueris, & vnus solusque sis, qui herbariam rem, & stirpium historiam, maximè promouere, & ad absolutionem perducere potuisses, nisi te D. Carolus V. Imperator semper Auguſt. ad consulatum, quo summa Reipub. vtilitate fungeris: legationes, quas apud externos principes, & ipsum Turcarum Imperatorem fœlicißimè obijsti, aliaque maiora munia vocasset. Quæ dum summa cum laude, atq; apud omnes principes pariter ac plebeios gratia administras, non cessas tamen herbarum stirpiumque studium prosequi. Nam & in amplißimos tuos hortos omniũ herbarum genera, non sine magno sumptu, ex remotißimis etiã orbis partibus conquæsita infers, & diligenti cultu tractari curas, grauioribus negocijs fessas ingenij vires, hac laudatißima ac iucundißima speculatione recreãs, reficiens, recolligens, quotiens te à magnis rebus Illustrißima Hungariæ regina, inferioris huius Germaniæ prudẽtißima moderatrix, vacare patitur, cui et ad hoc liberalißimum studium ad quod animi sui maxime ingenui propensione ducitur, igniculos addis. Stirpium nimirum contemplationem, tali, tãtaq; principe dignam iudicans, qua se recreet, atque animum colligat, vt in qua olim longè clarißimi Heroës, Heroinæ, Reges, Reginæ, Principesque versati sunt, qui non incelebrem sui apud posteros memoriam reliquerunt nominibus suis herbis donatis. Quare cum tanta tua sit humanitas, eruditio, prudentia, tamque eximius, & rarus tuus erga stirpium plantarumq; historiam affectus, sumpsi animũ ex

consilio

consilio D. Cobelij viri prudentißimi, mihiq; amicißimi, propoſuique fauorem & patrocinium tuum ambire, de tua ſingulari humanitate & beneuolentia, quæ ab omnibus prædicatur, confiſus, te vnum eſſe verè ſciens, qui non ſolum ſtirpium hiſtoriæ auxiliares manus præberé vales, aut patrocinium eius fœliciſsime exequi, verum etiam, qui noſtrum de herbaria re conatum, ſtudiumque plurimum promouere, adiuuare, augereque, prudẽtia, autoritateque tua potes. Quærenti autem mihi honeſtam aliquam, qua me tibi inſinuarem occaſionem, de re herbaria venit in mentem argumentum. Selegi itaque ex noſtro opere vernaculo ſermone de ſtirpium hiſtoria conſcripto, quod ſex libris abſolutum iam ſub incude eſt, breui in lucem proditurum, Sereniſsimæ Hungariæ Reginæ dedicatum, in quo præter ducentarum, & etiam plurium nouarum (nouas appello, quæ iam primum in lucem reuocatæ ſunt) ſtirpium acceſsionem, multæ quoque integritati ſuæ reſtitutæ ſunt, & antiqua veterum medicorũ nomenclatura donatæ, quæ falſis nominibus innoteſcere ceperant. Selegi (inquam) ex hoc noſtro opere frugum hiſtoriam omnium difficilimam, maximis erroribus implicatam, in communi vita frequentiſsimam tamen & neceſſariam (tanta fuit ſeculi aut barbaries, aut inſcitia) quam antiquitati reſtitutam, & veritatis luce illuſtratam tibi Latino vtcunque ſermone conſcriptam nuncupare decreui. Proinde cum in certiſsimam ſpem adducerer, laborem hunc noſtrum tibi futurum gratiſsimum, de frugum hiſtoria lib[…]

offerens, dedicansq;, cum, vt meæ erga te studiaque tua obseruantiæ veluti testis sit, beneuoliq; affectus, et amoris specimen, tum vt tuo nomine & gratia commendatus, studiosis Medicinæ fiat commendabilior. Reliquum igitur est ornatissime Eques vt hoc nostrum exiguum munusculum hilari, exporrectaq; fronte accipias, & Dodonæum in amicorum tuorum numero, aliquo loco esse patiaris. Quæ si consecutus fuerit, ad maiora audenda animum vires q; adiecerit.

Vale.

Remberti Dodo

NAEI MECHLINIENSIS MEDICI DE FRVGVM Historia Liber

QVID FRVGES, ET QVOT EArum genera.

CAP. PRIMVM.

Ruges generali uocabulo, ut Priſcianus author eſt, dicuntur omnia quæ ex terræ fructibus ſatis, in alimoniam noſtram uertimus, ſiue frumenta ſiue legumina, à frumine eminente gutturis ſub mẽto parte appellationem, ac nomen adeptæ, ut Feſtus, Donatus, & Seruius docent.

Frugum duo prima ſunt genera, authore Plinio: Frumentum, & Legumina. Frumentũ, ſiue ut Græci σῖτος, omne illud dicitur, quod tenui culmo aſſurgit, & ſpicam adfert grana producentẽ, ut Triticum, Zea, Olyra, Typha, Hordeum, Panicũ, Milium, Auena, Oriza, Secale, &c.

Legumen, ſiue ut Græci ὄσπριον, eſt cuius ſemen nõ ſpicatur, ſed in ſiliquis continetur, aut, ut Galenus ait. Legumina, ea cerealia ſemina appellãtur, ex quibus panis non fit, ut fabæ, piſa, phaſeli,

phaseoli, ochri, lathyri, ciceres, lentes, eruum, &c.
Legumina autem Varro dicta uult à legendo, quoniam à terra uellantur, non ut fruges secentur. Dedere ea clarissimis olim Romanorum familijs cognomina. Sic Fabij, Ciceriones, Pisones, Lentuli, à faba, cicere, piso, & lente cognomenta retulerunt.

DE TRITICO CAP. II

GENERA.

TRitici à ueteribus multa notantur genera, cognomina ex locis sortita, ut: Aphricũ, Ponticũ, Thracicum, Assiricũ, Aegyptiũ, Beoticũ, Siculũ, Gallicũ, &c. Aut cãdore, aut pondere, quo maximè, ut inquit Plinius, frumentum discernitur, aut magnitudine, aut alia quauis proprietate inter se differentia. Quoddã etiã est præcox, aliud serum, aliud auctu amplum, multumq; reddens, aliud ieiunum, ac parum ferẽs. Qui uerò minus scrupulosè hæc persequuntur, tria tantũ Tritici genera obseruãt. Robum uidelicet, Siliginẽ, & Trimestre Triticum, quod Setanium dicitur, quæ tamen, si quis exactè ipsorum naturã inspiciat, genere etiam non dissident. Differentiã siquidem eorum, solum in quo nascũtur, et sationis tempus pariunt. Nullũ enim est Tritici ex his genus, quod non è quouis proueniat, &

in

in quoduis transcat, si aut deses negligentia, aut diligens cultura adsit. Meliori siquidem solo commissum Triticũ, & temporius satum melius redditur. In ignobili autem, & intempestiuius satum, degenerat. Ita Robus, quod optimum ex Tritici generibus est, solo uliginoso satus, post tertiam sationem in Siliginẽ uertitur, ut Columella ait. Siligo uerò in conueniens solum translata, biennio iterũ in optimum Triticũ, id est, Robũ transit: si grauissima quæque eius grana serantur, authore Plinio, excepto Allobrogum, et Auernorum agro, ubi pertinax Siligo manet propter locorum humiditatem.

Ab his autem Setanium, siuè Trimestre Triticũ, eo solo differt, quod non ante hyemem, sed sub uernum æquinoctium satum sit: ♆ si enim maturius sereretur, commodius proueniret. Neque enim ullum natura Trimestre triticum est, ut Columella refert: quippe idem satum Autumno melius respondet.

HISTORIA FRVGVM

Πυρός. Triticum



FORMA.

TRiticum omne tenuibus, & multis exit radicibus, in herba per hyemem (quod Autumno satum) est, inde remollito cœlo, culmo assurgit, quàm Hordeum altiori, nullis ramis brachiato, cuius terno aut quaterno geniculo spica geritur, nullo uersu aut ordine distincta, & arista (ut Plinius inquit) carens, quæ & à foliis magis, quã in Hordeo emicat.

Robi granum durum, solidumq; est, pondere, & nitore præstat, rutiloque colore non solum extrinsecus splendet, uerum et confractum, inter omnia Tritici genera colore est flauiori.

Siligo molle, laxumque granũ habet cortice exteriori nonnihil flauescens, medulla autem leui, candidißimaq;, quam Plinius ait, nunquam pariter maturescere, nec ullam segetũ minus dilationẽ pati, propter teneritatẽ ijs quæ maturuere prius granũ demittentibus: sed minus tamen quam cætera frumẽta, in stipula periclitari, quoniã semper spicã habeat rectã, rorẽ nõ cõtinentẽ, quæ rubiginẽ faciat.

Setanium Siligini simile est, & eius quoddam genus, ut Columella scribit.

NOMINA.

Triticum Græcè πυρὸς dicitur, Germanis weij sen, Brabantis Terwe, Gallis bled, ou fourment.

Frumẽ

Primum & præstantißimum Tritici genus Latinis, ut Columella author est, Robus appellatur, quanquã & Plinio absoluto, & communi nomine Triticum, sicuti & Græcis frequentißime πυρὸς. An uero huiusmodi Tritici genus, Brabantis cognitum sit, difficile fuerit iudicare, uerisimilius certe est, agros nostros præstãtißimo hoc Tritici genere carere, cũ Allobrogum, & Auernorum agri nostris calidiores, Robũ etiã nõ adferant, sed pro Rhobo sato, Siliginẽ reddãt. Quod si uero et in nostro hoc solo prouenire posse existimetur, Robus utique Triticum erit, in agris fœcundißimis, & uligine, quam minimum tentatis natum, quod pondere, nitore, & magnitudine præcellat, & colore rutilum sit: nam & hoc inter Rhobi dotes numerant.

Alterum Tritici genus, in quod Robus solo uliginoso post tertiam, ut diximus, sationem conuertitur, Siligo Latinis dicitur, Columella Tritici uitium appellat: Plinius autem Tritici delicias censet, & candorem sine uirtute, & pondere esse ait, in specie Columellæ contradicens, re uera tamen ab eo non dissentiens, Columella enim, ut bonus agricola, Triticum laudat pondere grauißimum: Plinius autem homo urbanus, et delicijs magis assuetus nõ pondus, sed suauitatem in mandendo, leuitatem que & candorẽ commẽdat. Non negat ille ex Siligine

gine panẽ fieri candidiorẽ: quamuis enim inqt candore præstet, pondere tamen uincitur: sicuti neq; hic leuem, ac sine uirtute Siliginem esse. Sed Columella ad pondus (quo maximè omnium frumentũ, etiam Plinio discernitur) respiciens, hoc Siliginem Robo deteriorem censet, quo leuior est: Plinius uerò nulla grauitatis ratione habita, sed candorem, et leuitatem considerans maxime, Tritici delicias, Siliginem appellauit, ex Siligine siquidem panis fit candidissimus. Hippocrati Siligo στρύγις, aut ut nonnulli legunt, τρύγις, dicta uidetur, leuior enim Strygis Tritico, id est, Rhobo (absoluto enim sermone sæpe Triticum, & πυρὸς, pro Rhobo dicuntur) alioqui ei omnino similis, quæ enim ex ea fiũt, similiter ut ea quæ ex Tritico, apparantur, nihil autem Robo tam simile, quam Siligo. Certè nisi Strygis Siligo sit, quid tandem fuerit dicere non possum. Eorũ enim sententiã non probo, qui Strygin Olyram, aut Tragum interpretantur. Quanto autem in errore uersentur, qui Siliginẽ Olyrã Græcis dictã existimẽt, infra, ubi de Olyra, ostẽdemus.

Siliginẽ omne Triticum existimo, quod in Gallia Belgica prouenit, magna enim ex hac parte in hac regione, cœli status humidus, & solũ etiã ipsum alioqui multis fluuijs irrigatur, in cuiusmodi locis Columella, & Plinius promptissime Siliginẽ

nasci

naſci et ex Robo prouenire ſcribũt. Quorũ ille quidem ſic habet: Siligo in humido cœli ſtatu, rectè prouenit, & ideo locis manantibus magis apta eſt, nec tamen ea longè nobis, aut magna difficultate requirenda eſt: nam omne Triticum ſolo uliginoſo, poſt tertiam ſationem conuertitur in Siliginem. Plinius uerò hunc in modum: Siliginẽ propriè dixerim Tritici delitias: cãdor eſt, & ſine uirtute, & ſine pondere, conueniens humidis tractibus, quales Italiæ ſunt, & Galliæ Comatæ. Cuius ſententiæ poſtremum, non mediocriter opinionem noſtram cõfirmat. Si enim Italia, & Galliæ comatæ prouinciæ, trans Alpes Romanis, nobis cis Alpes ſitæ, Belgica Gallia multis de cauſis ſicciores, Robo ferendo non ſufficiant, ſed Siligini maximè conueniant, non aliud profecto frigidiores iſtas regiones, quam Siliginem producere, exiſtimare oportet. Ex his itaque manifeſtum eſt, Triticiillud genus, quod apud Brabantos & Flandros autumno paſſim ſeritur (winter terwe, hoc eſt, hyemale Triticum uocant) ueram eſſe Siliginem, cuius ueteres, Columella & Plinius meminerunt. Quod ideo adiectũ uoluimus, ne cuiquam Siliginis hac tempeſtate ambigua appellatio, imponeret. Eſt enim quoddam frumẽti genus Brabãtis, atque adeo omnibus ſeptẽtrionalibus regionibus familiariſſimũ, quod nõnulli etiam

etiam Siliginem appellari contendunt, à Tritici bonitate longe recedens, uulgo Rogge, Plinio Secale appellatur, de quo suo loco agemus.

Tertium Tritici genus, quod uere seritur Græcis τρίμηνον καὶ σηταίας, Latinis Trimestre Triticum, & Setanium appellatur. Eius usus inquit Columella, agricolis gratissimus, ubi enim propter aquas, aliamue causam, matura satio est orissa, præsidiū ab hoc petitur. Hoc Tritici genus, inquit Rusellius, Galli Martium uocant: rura nostra, Tomerterwe, hoc est, æstiuum Triticum nuncupant. Trimenon autē, siue Trimestræ, ab Italis dicitur, quòd tertio ferè, à quo satum est mense maturescat: quod tamen de nostro dici non potest, quod Martio satum, Iulio demum, hoc est, quinto post mense demetitur, unde & non improprie pentemenon dici posse uidetur.

Errant non leuiter, qui Germanis dictum Amelkorn, hoc est, quasi dicas, Amyli Triticum, Setaniū esse existimant, quod ex eo Amylum fiat, ita enim & Zeia Setanium esset, ex ea enim Amylum fieri Dioscorides tradit. Amyleum enim hoc (ut sic dicere liceat) Triticum sticam habet multis aristis uallatam, & semen, quod non facile à folliculo suo deglubitur: Triticum autem omne aristis caret, & à gluma facile absoluitur. In non minori eti

em

am errore uersantur, qui Frumenti quoddam macrum, triste, Hordei similitudine genus, uernaculo Gallorum uocabulo Scourgeon appellatum, cuius granum, à folliculo suo non facile excutitur, Setanium esse existimant. Nam cum exiguam quoq; cũ Tritico similitudinem habeat, & præterea Autũno seratur, Setanium quoque esse non potest. Sola enim uerna Sario Setanium efficit, & à Tritico, aut Siligine distinguit.

TRITICI ET SILIGINIS PARTES.

FLos purissima farina, à furfuribus integrè purgata est (Brabanti fijn bloemen, & donst appellant) Græcis ἄνθος, & παιπάλη, Latinis etiam nonnunquam pollen: quanquam Marcellus, Dioscoridis interpres, pollinem tenuissimum puluerem magis esse dicat quam farinam, qualis circa molas plerunque & loca in quibus panis pinsitur, parietibus adhærens, inuenitur. Inter Pollinem tamen, & florem, Plinio nonnihil discriminis est, flos enim illi purissima Farina Siliginis, Pollen uero subtilissima farinæ Triticeæ pars, idẽ, ut inquit, in Tritico, id est Robo, quod flos in Siligine. Cornelio Celso Pollẽ etiã impurior, & furfuracea farina est, ut infra dicetur, qui & hanc purissimam farinã Siliginẽ uocauit, unde panis, q ex hac purissima farina fit σιλιγνίτης, siue Siligineus dicitur.

Similago

2 Similago, quæ & Simila, Græcis σεμίδαλις, nobis bloeme, & groeue bloeme, media quædã farinæ pars, inter florem & farinam, ex qua uidelicet nõ omnes excußi sunt furfures, sed craßiores tantũ repurgati. Panis ex hac factus σεμιδαλίτης similagineus nuncupatur. Laudata olim similago fuit in panificio: laudauit et eam Martialis in xenijs suis hoc Carm.

Nec dotes poteris Similæ numerare, nec usus,
Pistori toties, cum sit & apta coquo.

3 Farina Græcis ἄλευρον, Brabantis meel, quæ omnes in se frumenti partes continet, & furfur admistum habet, cui scilicet nihil, neque pollinis, neque floris, aut furfurum decessit. Ex Farina cocti panes σύγκομιστοι & ἄρτοι πύροι dicuntur.

Post farinã furfures sunt, inutile farinæ recre
4 mẽtũ: quorum duplex discrimen, & genus. Vnum quod tenuioribus, & quasi pulueris tritura cõstat, κυρίβια Græcis, Latinis utriculos, & exta Tritici dici uolunt, Palladio cretura est, Brabantis cort meel: Alterũ craßioribus ramẽtis, Græci πίτυρον Latini Furfur dicunt: Veteres etiam Canicas, & Apludas, Brabanti Semelen. Ex his panis factus ῥυπαρὸς, id est sordidus dicitur, inter quos πιτυρίτης, siue furfuraceus, qui ex craßioribus furfuris partibus fit, postremus & reprobatißimus est.

HISTORIA FRVGVM.

Fermentum ζυμή, farina, quæ prius ſubigitur, & quam ſal additur, & relinquitur donec aceſcat, cuius in ſubigendo, & pinſendo pane uſus eſt.

VIRES ET FACVLTATES.

EX HIPPOCRATE.

TRiticum fortius eſt Hordeo, et magis nutrit, minus autem per aluum ſecedit, tũ ipſum, tum ſuccus. Farina pura in aqua pota frigefacit, & lotura pollinis Tritici. Furfurũ ſuccus coctus, leuis, per aluum ſecedit. Verum farinæ in lacte datæ magis per aluũ ſecedũt, quã in aquæ propter ſerum, & maxime inter aluũ mouẽtia numerantur. Quæcũq; uero farinæ cũ melle & oleo coquuntur, aut aſſantur, oẽs æſtuoſæ ſunt, & ructũ cient. Et ructum quidẽ ciẽt, quia probè alẽtes nõ ſecedũt. Aeſtuoſæ aũt ſunt, quia pinguia & dulcia, & inter ſe concordia, nõ eadẽ coctura indigẽtia, in eodẽ ſunt. Similago & Chondrus cocta, fortia ſunt, & alunt, non tamẽ per aluum ſecedunt. Trygis, hoc eſt, Siligo, lenior eſt Tritico, & quæ ex ipſa fiunt ſimiliter, ut ea quæ ex Tritico parantur, & magis per aluum ſecedunt.

EX GAL. LIB. DE ALIM. FACVL: I.

INter Tritica plurimũ habent alimẽti, quæ denſa ſunt, totãq; ſubſtantiã habẽt adeo compactã, ut dentibus uix diuidi queãt. Talia enim exigua

mole

mole, corpora plurimum nutriunt: quæ uero ijs sunt contraria, quæq; dentibus quidem facile franguntur, fractaque rara ac laxa apparent, magna mole exiguum reddunt alimentum.

ANNOTATIO.

OBseruet *hoc loco lector, Galenium consentaneã Columellæ sententiæ scribere & Robum Siligini multis modis præferre. Triticum enim quod densissimũ est, Robus Columellæ vocatur: quod rarius Siligo.*

EX GAL. DE FAC. SIMP.

TRiticum *uero, ut medicamentum foris impositum primi est ordinis excalfacientium, nõ tamen nec reficcare, nec humectare manifeste potest. Habet uero etiam quiddam lentoris, obstruentisque naturæ. Porro quod ex eo conficitur Amylum, eo tũ frigidius est, tum siccius.*

EX DIOSCORIDE.

OPtima *è Tritici generibus, habentur ad secundæ ualetudinis usus, quæ recentia, et iã perfectè adulta, colorem luteum referunt. Dein sequuntur Trimestria, quæ nonnullis Sitania appellantur. Itaque cruda in cibis, teretes tineas gignunt. Canũ morsibus prosunt mansa, et imposita. Farina eorum cum Hyoscyani succo illinitur, aduersus neruorum influxiones, et interaneorum*

inflationes: lentigines ex aceto mulso tollit. Furfures autem in aceto decocti, et calentes illiti lepras pellunt: inflammationes omnes incipientes illiti leniunt: in Rutæ uero decocto elixi mammas turgentes sedant: uiperarum ictibus auxiliantur, & torminosis prosunt.

Setaniorum farina, contra uenenatos ictus, cũ aceto, aut uino commodißime illinitur: eadem si decocta in glutini modum delingatur, cruentis excreationibus proderit: contra tußim, & exasperatas arterias cum mentha, & butyro decocta efficax est.

Tritici pollen si ex aqua mulsa, aut hydræleo decoquatur, omnem discutit inflammationem.

Glutinũ ex Similagine, & polline quo chartæ glutinantur sanguinem excreantibus prodest, si liquidum ac tepidum cochlearis mensura detur forberdum.

EX PLINIO LIB. XXII.

GRana Tritici ferro combusta, ijs quæ frigus fecerit præsentaneo sunt remedio: farina ex aceto cocta neruorum cõtractionibus auxiliatur: cum Rosaceo uerò & fico sicca, mixisq; decoctis suppuratis: Ex aceto & melle lentigini. Furfures tonsillis faucibusq; gargarisatione prosunt.

Sextus Pompeius, prætorij uiri pater, Hiſpaniæ citerioris princeps, cum horreis ſuis uentilandis præſideret, correptus dolore podagræ, merſit in Triticum ſeſe ſuper genua, leuatusq; ſiccatis pedibus, mirabili modo, hoc poſtea remedio uſus eſt. Vis tanta eſt, ut cados plenos ſiccet. Paleam quoque Tritici, uel Hordei calidam imponi ramicum incommodis, experti iubent, quaque decoctæ ſunt aqua foueri.

Siliginis grana combuſta, & trita in uino amineo, oculis illita epiphoras ſanat.

Trimeſtris farina mollior Zeæ eſt, ex uino rubro ad ſcorpionum ictus tepida, & ſanguinem excreantibus. Item arteriæ, & tuſsicum Caprino ſeuo, aut butyro, aut Fœnogræco, molliſsima omnium. Vlcera manãtia ſanat, & furfures corporis: Stomachi dolores, pedes & manus cum uino & nitro cocta.

DE PANIFICIO.

EXplicatis Tritici & generibus, & partibus, reliquum uidetur, ut de Panificio nonnihil dicamus: ut enim inter ea, quæ ex frumẽtaceis fructibus parãtur, primũ tenent locũ, ita etiã inter hæc ipſa omniũ præſtãtiſsima ſunt, quæ ex Triticeo genere fiũt: qua de cauſa et primaria differentiarũ nomina,

Triticeæ farinæ partibus assumpserunt. Panis autem uocabulum à Pano dici Varro putat, Messapios redundantiam & saturitatem appellat Paniam, ut testatur Athenæus, unde, ut idem uult, Latini panis nomen deflexerunt.

PANIFICII GENERA AC NOMINA.

PAnificij multa & genera, & nomina sunt, quæ uel substantiæ ratione ex qua panes fiunt, uel cocturæ modo, uel alio quouis discrimine differunt. ¶ Siligineus σιλιγνίτης nõ Græco nomine, ut Galenus inquit, Græcis dictus, ex purissima farinæ parte paratur, furfuribus, & recrementis carens, dictus Siligineus, nõ quod ex Siligine Tritici infirmiore genere factus sit (quanquam et ex eo fiat) sed quod ex purissima, & tenuissima parte farinæ, quã florẽ ac pollinẽ appellari diximus, paretur. Nã & hæc pars Siligo etiã ueteribus dicta fuit. Quod si non aliunde, ex Celsi loco uel manifestissimũ est, ubi Siliginẽ, Similam, & pollinem inter se confert. Nam nisi Siligo esset Triticeæ farinæ quædam pars, cum polline & Similla aptè comparari non posset, sed potius cũ alijs Tritici ac Frumentorum generibus comparanda foret. Quæ enim inter se comparantur, cognationẽ, ac similitudinẽ aliq̃ habeant necessum est. Similitudo aũt quæ tũdè Siligini Tritici generi, cum Si-

mila farinæ ſpecie,ſiue molitii Tritici parte,ut unũ firmius alere,q̃ aliud dici poßit? Siligo enim Tritici genus cõuenienter alere nõ poteſt,niſi in Similã,& farinã prius redacta.Et ut demus integram aſſumptam Siliginẽ alere poſſe, firmius certè alimentum præſtare non poterit Similagine,cum fur furũ et recrementorũ expers etiam non ſit futura. De alia igitur Siligine,quæ ſcilicet Similæ ſimilis ſit,& farinæ quoq; quædã pars Celſum ſcripſiſſe conſtabit,ad quam collata Simila plus furfuris habens,minus firmum alimentum reddit. Idem autem & Siliginem eſſe apud Cornelium Celſum quod tenuißimã Farinæ partem,inde etiam colligere licebit,quod Siliginẽ in nutriendo firmißimam eſſe tradat:Nam de Siligine Tritici genere, id uerũ non eſt,quæ multo deterior Robo eſt,& minus nutrit,ut ex Hyppocratis,Galeni, & Dioſcoridis ſcriptis paulo ante adductis euidens eſt. Laudant enim omnes uno ore Triticum,quod flauo colore, & durum eſt,id aũt Robus eſt:rarum uero & candidum improbant, quod utiq; Siligo. Verba autem Celſi hæc ſunt,lib.2.Cap decimo octauo.Ex Tritico firmißima Siligo,Simila deinde, cui nihil adẽptũ eſt(quod ἀυτὸ πυρον Græci uocãt)infirmior eſt ex Polline: infirmißimus cibarius panis, in quibus animaduerſione dignũ eſt,nõ ſolum quod diximus

Siliginem idem esse, quod purissimam farinæ partẽ, uerũ & Similam illo seculo dictam, quam posteriores, & nos paulo ante farinam, & ἄλευρον appellauimus, farinam scilicet integram cum furfuribus, cui nihil decessit, inter quam & florem media nostra est Similago. Deinde pollinem idem Celso esse, quod impurior farina, quam plurimum furfuris habens. Nam nisi pollen huic sordidior esset farinæ pars, et maximè furfuracea ex eo infirmissimum, & cibariũ panẽ fieri neutiquã traderet, per cibariũ enim intelligo què ῥύπαρον siue sordidum alio nomine dicimus. Neq; est quod pollinem audiamus subtilissimam illam farinæ partem, parietibus in pistrinis adhærentem: nã ex hoc panem parari nemo scripsit, et ne cogitauit quidẽ, ut opinor: & ut parari posset, non uideo ubi tanta huius tenuissimi pulueris copia haberi possit, ut panem inde coquere quis uelit. Sed ut & hoc demus refractarijs nostris, parabilem eius esse copiam, tenerum certe, & purissimum esse oportebit, ex tenuissima scilicet, & nobilissima farinæ parte concinnatum: tantum abest, ut sordidus, aut cibarius dici mereatur. Sed ad institutum, à quo longius digressi sumus, reuertamur. Siligineus itaque panis, non à Silgine Tritici genere, sed à puriori Triticeæ farinæ parte nomen inuenit.

Vocant

Vocant autem hunc Brabanti communi & uernaculo nomine witten broot, hoc est album & candidum panem, et quia ditiorum mensis infertur nonnullis locis, heeren broot, hoc est dominorum panem.

2 *Similaceus, siue similagineus, qui ex Simila fit. Græci σεμιδάλιτης nominant, Brabanti fijn terwen broot: estq; á Siligineo proximus:*

3 *Αυτοπύρους ex omnibus farinæ partibus nulla detractione constat, inter Pityriam & Semidalitim medius. Vocatur et ἀυτοπυρίτης, ξεροπυρίτης & πύρινους Athenæo, non ab igne, sed á Tritico, quod πύρους dicitur, nominibus deflexis, item et συγκομυς, quasi confusaneus, quoniam castratus non sit, sed omnia simul tulerit, ab Hippocrate etiam Anerectos, ab alijs ἀλευρίτης, id est farinaceus, uulgo grof terwen broot.*

4 *Post autopyros panes sũt, quos Græci ῥυπάρους Latini sordidos nominant, qui plus furfurum habent quam Similæ, & è farina, ex qua flos, et tenuissima Siligo cribro excussa est, parantur: cuiusmodi olim seruis, & pauperibus dabatur, unde & cibarius, et gregarius dictus fuit. Sed tener, et niueus, molliq; Siligine factus, Seruabatur domino, ut Iuuenalis inquit Sat. 5. Sordidum panem olim et Ciliciũ, qui magnus erat, uocabãt, et á colore sub*

nigro

nigro Phæon,& Agelæon,Pacuuius,Canicaceũ, Feſt.Pompeius aceroſum.

Ex horum genere eſt πιτυρίας,ſiue furfurace us,cui plurimum furfuris ineſt.

Zymites,ſiue fermentatus,qui in coctura fermẽ tum accipit,Naſtos etiam dicitur. 6

AZymos nõ fermentatus, ſine fermẽto factus qui & daratos. 7

Κλιβανίτης furnaceus,ſiue quod idem eſt,Cri- 8
banites, A Clibano,quem Attici Cribanum appellant,Varroni Teſtuaceus dicitur, quod in teſto calido coquatur,nam quod Clibanum Græci,Latini teſtũ dixere. Ex horũ genere ſunt quos ἰπνίτας,et Caminitas uocãt,in minoribus furnis cocti.

Aeſcharites,â Craticula ſub finem cœnæ con 9
uiuis apponi ſolitus, & intingi paſſo uſq; ad ebrietatem legittimam,ut Hermolaus ſcribit.

Subcineritius ἐνκρύφιας, ſub cineribus coctus, 10
qualem apud Hebræos olim in uſu fuiſſe legitur.

Dipyritos,ſiue Dipyrites ,idem & ἀπφτος, 11
Latine biſcoctus,qui bis ignem expertus eſt. Ex his uidetur nauticus eſſe,uetus ,ac ſiccus à Dioſcoride in medicina dictus, Sunt uero et alia nonnulla panificiorum genera.quorum differentiã peregrinarũ rerũ mixtura efficit,de quibus nihil nobis dicẽdum uidetur,ſicuti neq; de itrijs et placen-

tis

tis, cũ earũ innumeræ ſint differentiæ, et peculiarem omnino tractationem poſtulent.

VIRES ET FACVLTATES.

EX HIPPOCRATE.

PAnis ex tota farina collata, ſiccat, et per alvum ſecedit: purus autem magis nutrit, minus uero ſecedit. Ex ipſis porrò panibus, fermentatus quidem leuis eſt, et ſecedit. Et leuis qdẽ dem eſt, quia à fermenti acere humiditas conſumpta eſt, quæ ſane alimentum exiſtit: ſecedit autem, quia cito concoquitur. Non fermentatus ſecedit qdẽ minus, nutrit autẽ magis. Qui ſucco ſubactus eſt, leuior eſt, et multum nutrit, et per aluum ſecedit. Nutrit: quia purus eſt. Leuis eſt, quia leuiſſimo ſubactus eſt, & fermentatus, ac toſtus ab eodem. Per aluũ ſecedit, quia paſſo, et aluũ mouẽte Tritici parte permixtus eſt. Ex ipſis aũt panibus maximi maxime alũt, propterea quod minus exurũtur ab igne. Et furnacei panes magis alũt, q̃ focarij, & ueruarij, propterea quod minus exurũtur ab igne. Clibano aũt cocti, et ſubcinericij ſicciſſimi ſũt, Hi quidẽ propter cinerẽ, illi uero per teſtã humore priuati. Similaginei omniũ horũ fortiſſimi ſunt, et adhuc magis, q̃ ex Chõdro fiũt, ualdeq; nutriũt, uerũ non ſimiliter ſecedũt. Panes calidi ſiccãt, frigidi minus, gracilitatem autem quandã inducunt.

Ex

HISTORIA FRVGVM
EX GAL. DE FAC. ALIM.

INter panes Siligineus plurimum alimenti præstat: post ipsum autem, Semilaceus: tertio loco, medius, qui & συγκομισός & ἀυτόπυρος dicitur: quartum post hunc est sordidorum genus, in quibus furfuraceus est postremus, minimũque omnium nutrit, & omnium maxime per aluum secedit. Cõcoctu autem inter panes, sunt facillimi, qui plurimum sunt fermentati, & pulcherrimè subacti, quique in Clibano igne moderato fuerunt assati. Porrò qui fermẽto omnino caret, nemini prorsus est accommodus.

Omniũ optimi sunt Clibanitæ ad eum quẽ præscripsimus modum, tum assati, tum ad assationem præparati. Proximi autem ipsis sunt, qui in minori furno assantur, ἰπνῖται nuncupati, eodem uidelicet quo prædicti, modo præparati: sed quia in profundo non similiter assantur, ob id ab ipsis relinquuntur. At qui super craticulam aut cineres calidos, aut foci pauimentum, ceu clibanum assantur, praui omnes sunt, ut qui inæqualiter se habeant, nam partes ipsorum extimæ supra modum sunt assatæ, intimæ autem crudæ, Cæterum ijs quos, propterea quod cineribus tecti assantur, subcineritios nũcupant, cineres ipsi prauitatem aliquam aspergũt: quapropter omnium panum (si ipsis cætera omnia

ante

ante pariter adfuerint) quod ad assandi saltem modum attinet, propemodũ dixerim esse deterrimos.

EX LIB. DE FACVLT. SIMP.

QVod ex pane fit cataplasma, uim habet magis digerentem, quam quod ex Tritico, nimirum cum & salem, & fermentum panis adiuncta habeat: quippe cum fermentum uim habeat attrahendi, digerendique ea quæ in alto resident.

EX DIOSCORIDE.

PAnis & crudus, & coctus cum aqua mulsa, inflammationes omnes illitu mulcet: quum emolliat, & quadamtenus refrigeret, sed herbis succisue huic rei accommodatis misceatur. Vetus panis aridus, adiectis conuenientibus, citam alum cohibet. Recens, muria maceratus, illitu uetustas impetigines sanat.

EX PLINIO.

PAnis ipse quo uiuitur innumeras pene continet medicinas. Ex aqua enim & oleo, aut rosaceo mollit collectiones: ex aqua mulsa duricies ualde mitigat. Datur ex, uino ad discutienda ualens, aut quæ perstringi opus, & si magis etiamnũ ex aceto: aduersus acutas pituitæ fluxiones, quas Græci Reumatismos uocant: item ad percussa luxata. Ad omnia autẽ hæc fermentatus, q uocatur

autopyros

autopyros utilior. Illinitur & paronichijs, et callo pedum in aceto ueteri. Nauticus panis tusus atq; iterum coctus sistit aluum.

Vocis studiosis, & contra distillationes siccum esse, primo cibo utilißimum est. Sitanius incussa in facie, aut disquamata, cum melle aptißime curat. Cãdidus ægris aqua calida frigidaue madefactus leuißimum cibum præbet. Oculorũ tumori ex uino imponitur. Sic & pustulis capitis, aut adiecta arida myrto. Tremulis panem ex aqua esse ieiunis statim à balneo demonstrant. Quin & grauitat ẽ odorum in cubiculis ustus emendat, & uini in saccis additus.

DE ZEA CAP. III

GENVS.

Ea duorum generũ est, ut Dioscorides inquit. Vna cuius grana in singulis tunicis geminata: altera cui simplicia, & in singulis putaminibus singula.

Quia

Zeia Zea.



HISTORIA FRVGVM.

FORMA.

ZEa Tritico ſimillima eſt, & ut Theophraſtus ait, firmiſſima, copioſiſſimaque, fruticat: multiplicem, & altam radicem effundit: culmo numeroſo, & alto ſurgens: ſpica nullis ariſtis uallata: fructu ſiue grano multis folliculis incluſo, alias leuiſſimo, & cunctis animantibus admodum iucundo. Lætum pingueque ſolum deſiderat: Græciæ quondam peculiaris, nunc pluribus nationibus cõmunis. Tradit hãc Theophraſtus lib. 2. cap. quinto in Triticum mutari, ſi à folliculis purgata ſeratur, ſed non ante triennium, in qua etiam Plinius ſententia eſt, hunc in modum de Zea ſcribens: Apud Græcos Zea eſt, traduntq; eã ac Typhen, cum ſint degeneres, redire ad frumentum, ſi piſtæ ſerantur, nec protinus, ſed tertio anno. Primum genus uno folliculo, ſine gluma, gemina continet ſemina. Alterum ſimplicius, unum tantum granum complectitur.

NOMINA.

ZEa Græcis, Latinis Zea, & à frugis præſtãtia ſemẽ dicitur, Italis et Brabãtis ſpelta, Germanis Speltz, et dinckelcorn. Gallis Eſpeaultre.

Primum genus à duobus granis Græci δικόκκον cognominant.

Alterũ

Alterum genus simplicioris grani, peculiare cognomẽ nõ habet, neq; ueteribus, neq; recentioribus, neque etiam quod sciam alicui nationi uulgare. Nam quod Fuschius & plerique alij, simplicioris grani Zeam esse existimant, Germanis Sanct Peeters korn, *id est diui Petri frumentum dictum, ex Zeæ generibus neutiquam esse potest, spicam enim habet aristis cinctam, & qui ex eo panis paratur, niger est, et sordidus, ut inquit Tragus: Zeæ autem spica mutica est, panis uero Triticeo non multo inferior. Vnde euidenter apparet, diui Petri dictum frumentum non Zeam esse, sed ad Thracicam* Briz*am propius accedere.*

VIRES ET FACVLTATES.

EX GALENO DE ALIM. FACVL.

Zea nutrit Hordeo ualentius, tum stomachũ iuuat: panis ex ea fit, qui minus Tritico nutrit.

EX GAL. DE SIMP. MED. FACVL.

Zea uniuersa sua facultate, quodammodo in medio est Tritici, & Hordei.

EX DIOSCORIDE.

Zea magis nutrit, quam Hordeum: ori suauis est: digesta in Panificia, minus quam Triticum alit.

EX PLINIO LIB. XXII

ZEæ farina efficacior hordeacea uidetur. Hæc Plinius, neq; de eius uiribus plura habet, quæ enim his subnectuntur, Trimestris id est Seranij facultates sunt, ex Dioscoride ad uerbum fere transcriptæ. Quod miror non animaduertisse eos, qui temere plures uires ex Plinio, Zeæ asscripserunt, & in suos commentarios transtulerunt.

Olyra. Arinca.



HISTORIA FRVGVM.

DE OLYRA. CAP. IIII.

FORMA.

Lyra Zeæ quædam ſpecies, ut Dioſcorides ait, tritico quoq; natura ſimilis, & in id cultu tranſiens: culmo eſt Triticeo: ſpica ariſtis quibuſdã ualla ta, maiori et ponderoſiore q̃ farris, authore Plinio: grano folliculis incluſo, a quibus Theophraſto teſte, nõ facile exteritur, ob id iumẽtis dari ab Homero dicta.

NOMINA.

OLyra Latinis Arinca dicitur, ut Plinius lib. XVIII Capite X. teſtis eſt. De Arinca enim ſcribens, hæc eſt inquit, quam Græci Olyram uocant: unde et errare eos manifeſtum eſt, qui Olyram Siliginem latine interpretantur. Arincam enim à Siligine Plinius diſtinguit, & præter hæc Siligo ut ſupra diximus, Tritici eſt ſecũdaria ſpecies: Olyra autem Dioſcoride teſte, Zeæ. Olyra Germaniæ nota. Quod enim hac ætate Amelkorn, hoc eſt, quaſi dicas Amyli, aut Amyleum frumentum, inde, quod ex eo Amylum paretur, nuncupant, uera eſt Olyra. Culmo ſiquidẽ, et grano Tritico, Zeæque ſimile eſt: ſpicam habet Hordeo ſimilem, ariſtis cinctam: ordine grana diſpoſita, folliculis incluſa, ex quibus panis etiam laudabilis paratur. Quæ omnia cũ Olyræ deſcriptiõe, tã exactè

conueniunt, ut dubitari nõ poßit. Amyleum frumẽtum idem cum Olyra eſſe. Non leuiter igitur hallucinantur, qui Amyleum frumentum idem cũ Setanio eſſe exiſtimant, reclamante etiam ipſo ſationis tempore. Amyleum enim autumno paſſim apud Germanos ſeritur. Setanium ſolum uere. Niſi enim uere ſereretur Setanium non eſſet. Verna enim ſatio, ut Columella dicit, Setanium efficit.

VIRES ET FACVLTATES.

EX GALENO DE FAC. ALIM.

OLyra eiuſdem cum Zea generis eſt, ſed minus aliquanto nutrit. Panes quoq; ex hac fiũt, qui poſt Triticeos, ſunt præſtãtiſſimi.

EX GAL. DE FACVL. SIM.

OLyra mediam Tritici, & Hordei naturam poßidet, tam ut medicamentum, quam ut nutrimentum: ex illis igitur de iſtis colligito.

EX DIOSCORIDE.

OLyra in panes ut Zea cogitur, ſed minus aliquanto nutrit.

EX PLINIO LIB. XVIII ET XXII

EX Arinca dulciſſimus panis: hac decocta fit medicamentum quod Aegyptij Atharam uocant, infantibus utiliſſimum, ſed & adultos illinunt eo.

DE

τυφή Typha

DE TYPHA CEREALI, CAP. V.

FORMA.

TYpha calamum unicum eumque tenuem, ut Galenus inquit, habet: ſpicam ariſtis lõgis, multis & aſperis uallatã, quod ex Pauli Aeginetæ Medici omnium poſt Galenũ lõgè doctiſſimi, loco de curatione quartanæ apparet, ubi nariũ uaſa, Typha ut ſanguinẽ fundãt, cõuulnerare præcipit, niſi enim Typha ariſtas haberet, non poſſet nariũ uaſa lædere, & ſanguinẽ ad effuſionẽ proritare. Granũ eius triticeo longe exilius, corpus coactũ & denſum habens, & multiplici folliculo incluſum eſt, ut Olyræ, cũ qua quadã cognatione iungitur, ſic ut Mneſitheus Typhen, & Olyrã omnino idẽ frumenti genus eſſe exiſtimauerit, quod tamen Galenus repræhendit: aliud Typham, & aliud Olyrã eſſe oſtendẽs. Typha enim deterior eſt. & ſpicã habet lõgè maioribus ariſtis cinctã, q̃ Olyra, & quod ad naturalẽ colorẽ attinet, in Olyris eſt albus, in Triticis eſt ſubflauus, Typhæ aũt tritici ſũt flauiores. Typha aũt Tritico ut et Zea natura quodã modo ſimilis eſt, in triticũ, n. et cultura multa cõuertit. Sed ex ijsquæ tritico ſimilitudine naturæ iũgũtur leuiſſima oĩm Typha, ut Theophraſtus ait, et à tritici natura lõgius recedit, qua

de cauſa & ſolum gracilius, nec uti Zea aut Tritū cum pingue, fertileque expoſcit. Quanquam nō deſint, qui ipſum quoq; in Tritici numero ponant, uelintq; id ſemen eſſe cuius Homerus meminit cū Hectorem equos ſuos alloquentē facit his uerbis: Ὑμῖν μὲν πρώτοισι μελίφρονα πυρὸν ἔδωκεν. id eſt. Vobis enim primum prædulce Triticum ferebam. Aiunt enim Typham parum Triticum eſſe, eamq; equos ſine noxa mandere: uerum autem Triticum, non ſine noxa. Nec abſurde certe Typham quis Triticum exile uocauerit, cum ei & colore, & denſitate, & caliditate ſit aſſimilis.

NOMEN.

TYpham Græci τυφὴν nominant, recentiores Cerealis cognomen adijciunt. Typham Cerealem appellantes, ad differentiam uidelicet alterius Typhæ, de qua Dioſcorides ſcribit, quæ in arundinetis, & paluſtribus naſcitur, & nulgo nota eſt.

Typha autem Cerealis eſſe uidetur frumenti illud genus, quod Germani welſch weyſſen, Brabanti Roomſche terwe, id eſt Triticum Italicum aut Romanum nuncupant. Culmo ſiquidem eſt tenui quatuor genicula habente, grano Triticeo, ſed multis ut Zea tunicis, & glumis implicato, ſpi-

ca-

ca multis aristis ut Hordei, *& asperioribus circũuallata. Quod in* Alsatia *copiose prouenit, ubi à rusticis aprorum causa studiosè seritur. Inter omnia enim frumenta, à nullo magis, quam ab hoc apri abstinent, quod aristis huius plurimum offendantur, ut* Hieronymus Tragus, *inter* Germanos *diligentissimus, & rei* Herbariæ *non uulgariter doctus tradit. Ex quibus manifestum est in grauissimo & maximo eos uersari errore, qui hoc frumenti genus,* Germanis Italicum Triticum cognominatum, Siliginem *esse existimant, nam* Siligo *ut* Plinius *inquit, aristis caret.*

VIRES ET FACVLTATES. EX GAL. DE ALIM. FAC.

Typhini panes, post Triticeos, secũdi ab Olyrinis sunt. Quod si Olyrini, ex uitioso semine sint facti, Typhini non erunt eis inferiores. Calidi uero panes ex laudatissima Typha facti, Olyrinis lõge sunt præstantiores: asseruati uero, deteriores seipsis euadunt. Cum enim massa eorum sit tenax ac ductilis densatur maiorẽ in modum, & maxime cum negligenter parati fuerint, adeo ut qui panem huiusmodi, post unum aut duos dies, ac multo magis sequẽtes aliquot comederit, putaturus sit lutũ uẽtriculo suo inesse. At calidus adhuc cum est, ab ipsis etiam urbanis expetitur

ipsum

ipſumque cum caſeo quodam mandunt. quem uernaculo uocabulo oxygalactinon appellant. Porrò hunc quoq; tenerum eſſe oportet, & ipſum panem calorem clibani adhuc retinere. Qui certe in hunc modum eſt aſſatus, non ruſticis modo ſed urbanis quoq; hominibus in delitijs eſt. Qui uerò trium quatuorue dierum eſt, uel ipſis ruſticis manditur inſuauius: præterea concoctu eſt difficilior, ac tardius per aluum ſubducitur, quæ calido minimè accidũt, qui tametſi Hordeaceo, quod ad deiectionem pertinet, multum relinquitur, non tamen in eo, adeo ut miliaceus, eſt uituperandus. Quin etiam corpus admodum, dum calidus eſt nutrit ut pene Triticeo ſyncomiſto par ſit.

Seopyron.

Scopyron.



DE SEOPYRO. Cap, VI.

FORMA.

Eopyron frumenti genus, medio inter Triticum, & Zeam eſt loco: grano corticis experte, ut Tritici, cætera Zeæ ſimile, ut & nomen ipſum ex Zea, & pyro, id eſt Tritico compoſitum indicat. Serebatur olim ut Galenus tradit, in frigidiſſimis Bythiniæ locis, prope Niceã, Pruſam, Craſſopolin. Claudiopolin Heliopolin, et Dorylen, quod quidem extremum eſt Phrygiæ, Aſiaticæ oppidum.

NOMINA:

APud Bythinos Zeopyron prima ſyllaba nõ habente iota dicitur. In Cappadocia, ut inquit Galenus γυμνόκριθον, id eſt Hordeum nudũ, ac corticis expers appellant. Germaniæ uerò rura hac ætate kernſamen, quod quidem cum Zeopyro idem omnino eſſe inde apparet, quod culmo & ſpica ſimili ſit, ac Zea: grano uerò glumis explicato, rufo & Triticeo non diſſimili, ut de eo Hieronymus Tragus ſcribit: utriuſq; ſcilicet, Zeæ inquam, & Tritici naturam, & ſimilitudinem referens, quod ſoli Zeopyro proprium eſt. Quam etiam ob cauſam, niſi kernſamen Zeopyron ſit,

quid

quid tandem sit, & quo nomine appellari debeat, dicere non possum. Neque enim far est, ut Tragus existimat: quia far, ut Plinius inquit, à folliculis difficillime expurgatur: neque Chondrus *ut alij volunt.* Chondrus *siquidem non naturale frumenti genus, sed ex Zea factitium quid est.*

VIRES ET FACVLTATES. EX GAL. DE FAC. ALIM.

EX Zeopyro *panis fit præstantior, quam qui in* Macedonia, *aut* Thracia *ex* Brizа *conficitur: Ac fere quẽadmodum nomen ipsum Zeopyrum, ex utroq; nomine Zea scilicet, & pyro, id est tritico componitur, sic & substantia eius, inter utrunque media quodammodo est, ut si ex utroque esset commista: proinde quanto tritico est deterius, tanto* Thracia Brizа *est præstantius. Videre autem est panem qui ex hoc semine conficitur, tanto eo qui ex* Brizа *in Thracia, & Macedonia fit, esse meliorem, quanto tritico est deterior.*

Spizа

HISTORIA FRVGVM

Βρίζα. Briza.

DE THRACICA BRIZA CAP. VII.

FORMA.

BRIZa à Galeno Medicorum principe in Thraciæ, & Macedoniæ agris inuenta, frumenti est genus, culmo, spicaque Typhæ Græcorum persimile: grano rufo, & folliculis, ut Zea incluso: ex quo panis fit grauis odoris, ater, & ut Mnesitheus scribit membranosam substantiam habens.

NOMINA.

QVod ueteres Thraces, & Macedones authore Galeno BriZam uocauere, uidetur id esse quod hac tempestate Germani Eincorn & Sanct Peeters korn nominant, frumenti genus, quod spica est, quam Zea minori. uerum ut hordei aspera, & aristis munita, semine ex rubore ueluti nigricante, ex quo ut inquit Thragus, panis niger, ater, & grauiter olens conficitur. Cum BriZæ enim qualicunque descriptione, quam ex Galeni scriptis habere potuimus, rectissime conuenit. Typhæ siquidem similis est ut ex deliniatione apparet, & quæ ex eo parantur panificia eiusdem omnino generis, cum ijs quæ ex BriZa, sunt. Ex quibus certe rationibus, satis euidens esse uidetur, Germanorum Einkorn, Thracicam esse BriZam é Thracibus olim in Germaniam, ut uerisimiliter credi potest, inuectam, & nullo modo ex Zeæ ge-

neribus

neribus ut nonnulli noſtræ ætatis medici exiſtimant, aut farris ut alij habere poſſe. Zea enim & Far ſine ariſtis ſunt. Ex Zea uero & panes fiunt optimi, & triticeis non multo inferiores.

VIRES ET FACVLTATES. EX MNESITHEO.

PAnem ex Briza nemo affatim citra ſanitatis diſpendium mandit. Quod ſi quis ei pani non aſſueuerit, etiam ſi minimum ſumpſerit, ægrotabit: eſt enim grauis, & concoctu difficilis: Qui uero regionem colunt uehementer frigidam, eo ſe mine coguntur nutriri, ipſumque ſerere, quod frigoribus perſtrennuè reſiſtat. Atque hi principio quidem, paulatim edere aſſueſcunt, tum quia ingrati odoris eſt cibus, tum quia rarus eſt, in huiuſmodi regionibus frugum prouentus. Poſt autem quod familiare ſit. In eduliũ, accidit ut facillime incorporibus conficiatur. In ſumma autem ſtatuere oportet Brizam grauem eſſe, ac concoctu difficilem, firmam, ac membranoſam.

Secale

Secale. Rogghe.



Secale Cruc. I. B. 2. 4.

HISTORIA FRVGVM.

DE SECALI CAP. VIII.

FORMA.

Secalis solus Plinius meminit, qui hæc de eo tradit: Rarũ dictu esse aliquid cui prosit negligẽtia, id autẽ quod Secale et Farrago dicitur, occari tantũ desiderat. Secale Taurini sub Alpibus Asiã uocant: Aterrimum (ita enim puto legendũ, nõ quẽadmodum exemplaria uulgata habẽt deterrimũ), & tantum ad arcendũ famem utile: fœcũda sed gracili stipula, nigritia triste, sed põdere præcipuũ. Admiscetur huic far ut mitiget amaritudinẽ eius. Et tamẽ sic quoq; ingratissimũ uẽtri est. Nascitur qualicunq; solo cũ centesimo grano: ipsumq; pro letamine est: hactenus Plinius.

NOMINA.

FRumenti hoc genus uulgo notissimum est, nã quod Galli Latinã, ut fere fit dictionem depranantes Seigle uocãt, Germani Rockẽ, Brabanti Poggbe, uerum Plinij Secale est. Stipula siquidẽ est Roggha, & culmo Triticeo, sed graciliori & porrectiori, spica aristis horrida, ut Hordei, sed minoribus et innocẽtioribus, nõ erecta, sed fere pcũbente, et ideo rubigini quod imbres cõtineat oportuna: grano glumis explicito, caduco, trisii, nigricante, sirigoso, ponderoso, macriori & minori

quam

quã Tritici, ex quo panis niger & grauissimus fit: nisi Triticum ei admisceatur, quod fere in læto, & fœcundo solo cum eo seritur: duplici enim ratione seritur, aut simplex, aut admisto Tritico. Miscellaneam hanc segetem nominant uulgo Mistelluyn, Galli Mistel. Nascitur quocunq; solo, quantumuis gracili & arido, ut in Campaniæ Brabãtiæ agris uix ferendo gramini conuenientibus: in meliori tamen solo melius & præstantius prouenit. Ea quoque per hyemem in Gallijs, ut Ruellius ait, iumentorum pecudumq; pabulo cedit, quibus etiã pro lemine est. Quid multa tam exquisitè omnibus modis Roggha cũ Secali. Pliniano conuenit, ut qui diuersa esse existimare uelit, communi sensu uideatur destitutus: non enim ouum ouo tam simile esse potest, quã Roggha cum Secalis descriptione per omnia respondet.

Hallucinantur igitur non leuiter qui Roggham id est Secale Siliginem & Tritici genus siue speciem esse autumant. Nullam enim quemadmodũ ex iam dictis apparet, cum Siligine cognationem habet. Ex Siligine siquidem panis fit lautissimus, candidissimus, leuissimus, Romanæ olim nobilitati familiaris, nunc etiam ditiorum mensis gratissimus: ex Secali niger, grauis, ad famem ascendam messoribus, & fossoribus utilis, qui

 uete-

ueteraſcens acorem & ſitum cõtrahit. Item Siligo ſemper rectam habet ſpicam, nec rorem cõtinet, qui rubiginẽ faciat, ut Plinius inquit. Secale uero procumbentem, & ueluti pendulam quæ imbrẽ & rorem concipit, & rubigini multum obnoxia eſt. Præterea Siliginis ſpica nullas habet ariſtas: cõtra Secalis ariſtis munita eſt. Illi deniq; granum cãdidum, leue, craſſiuſculum: huic uero nigricãs, ſtrigoſum, & graue. Poſtremo Siligo pingue & cultum ſolum amat, in gracili & ſicco non prouenit: Secale nullum fugit & in quantumuis arido, ſe ſeri patitur. Dicitur autem Secale etiam farrago Plinio: non quod proprie farrago ſit, ſed quia farraginis loco bubus detur. Eſt autem farrago proprie, id quod ex multis frugibus pabuli cauſa ſeritur, ut ex Hordeo Vicijs, & leguminibus, uel ex recremẽtis farris, ut apud Fliniũ legitur: farrago, inquit ex recrementis farris prædenſa ſeritur, admixta aliquando & uicia. Atq; inde farrago, quod far ſit ferro cæſum, aut quod primum in farracea ſegete ſeri ceptum, ut Varro inquit, dicitur. Farrago enim id generaliter nominatur, quod iumentorum, pecudumq; pabulo cedit, & quod antequã matureſcat demetitur: ſiue Hordeum, ſiue Triticum, ſiue aliud quoduis frumenti genus, ut apud Columellam & Plinium uidere eſt, Quorum ille quidem farraginẽ

ex

ex Hordeo facere, hoc modo docet, lib. secũd. Farraginem in restibili stercoratissimo loco, & altero sulco serere conuenit. Ea fit optima cum Cãtherini Ordei decem modijs iugerum obseritur, circa æquinoctiũ Autumnale, sed impendẽtibus pluuijs, ut consita rigataq; imbribus celeriter prodeat, & confirmetur ante Hyemis uiolentiam, nam frigoribus cum alia pabula defecerunt, ea bubus, cæterisque pecudibus optime delecta præbetur, & si depascere sæpius uoles, usq; in mensem Maium sufficit. Plinius uerò etiam ex Tritico Farraginem quandam esse testatur. Et Tritici, inquit, pars aliqua pabuli est quadrupedum caussa sati, ut farrago. Atq; inde est, quod Secale, etiam farrago dicatur, per hyemem enim pabuli loco pecudibus data olim fuit, & nunc in Gallijs teste Ruellio datur. Secale igitur Farrago dicitur, non quod proprie farrago sit, sed quia farraginis loco in pabulum pecudibus cedat.

VIRES ET FACVLTATES.

SEcale Tritico in calefaciendo digerendoque ualentius est, eamq; ob causam panis ex hoc factus, aut fermentum in cataplasmata addita, promptius tumores discutiunt, & citius abscessus rumpunt, quam ex Triticea farina cocta.

Farina eius syncomistos, grauissimos, & diutinos capitis dolores sedat, si in linteo capiti circumligetur, discutit enim & per cutim digerit humores crassos, qui in alto sunt: ut mihi sæpius compertum est.

Panis obstruentis aliquid naturæ habet, & difficulter concoquitur, maxime si furfurum expers sit. Nam autopyros, & qui simul omnia recipit, nõ tam ægre conficitur, & citius descendit, ubi autẽ confectus fuerit, alimentum solidum, & firmum facit. Vtilis autem est his qui in laboribus & exercitio uersantur, & uentriculum habent calidum & robustum: inutilis uero, qui in ocio & quiete degunt, tum & ijs qui uentriculum languidum & imbecillem habent. Pulticula ex flore farinæ, & tenui Cereuisia facta, capite dolentibus, ægre dormientibus, & melancholicis datur, quod miti & suaui quodam uapore caput implens somnum allicit, & dolorem sopiat.

DE ORIZA CAP. IX.

FORMA.

RIZa Lolij aspectu, frumentũ est. Folia habet carnosa, porro similia, sed latiora: culmũ cubitalis altitudinis: florem purpureũ: radicẽ gemmeæ rotun

fundit, grana continentẽ Zeæ, siue semini dicto si milia, magna parte tẽporis in aqua residentia, quæ pista, ut Chondros concoctu facilia reddantur. In riguis paluſtribus nascitur. Italici quidam inquit Plinius, maxime Oriza gaudent, ex qua Ptisanam conficiunt, quam reliqui mortales ex Hordeo.

NOMINA

Oriza Germanis Rijs. Gallis Rizon dicitur frumenti genus ipso grano notissimũ, quod tamen non nisi pistum, purgatumque nobis ex Hispania aduehitur, quo hodie Gallia & Brabantia familiarissime utuntur, ex Oriza Ptisanam cum lacte coquentes, boni alimenti cibum, & palato gratissimum, ex eo parantes.

VIRES ET FACVLTATES.

EX GAL. LIB. DE ALIM. FACVL.

Semine hoc omnes in sistenda aluo utuntur, ipsum eodem modo, quo Chondrum coquentes: difficilius tamen quam Chõdrus conficitur, & minus alit, ceu utique & in edendi suauitate, ab ea quam plurimum relinquitur.

EX GAL. DE FAC. SIMP.

Oriza astrictorium quippiam habet, quare medio

criter aluum ſiſtit.

EX PSELLO.

Orꝛa aſtringit uẽtrẽ, difficiliuscõcoquit Chõdro

EX DIOSCORIDE.

Mediocriter alit, ſed aluum ſupprimit.

DE HORDEO Cap. X.

GENERA.

GEnera Hordei cõplura: ſticæ alijs grãdiores rariores q; cõſtant: alijs minores, frequentiores q;: alijs diſtantiores, à foliis: alijs proximiores, ut Achilleis cognomine. Et Hordeorũ ipſorũ aliud rotundius, minuſq;: aliud oblongius, maiuſq;, atq; in ſpica rarius. Itẽ aliud candidũ, aliud accedens ad purpurã, quod & farinã reddere copioſius creditur, & contra hyemẽ, & flatus, & in totum cõtra cœli mutationes, candido ualentius eſſe uidetur. Eſt in Hordei genere & aliud, binis uerſibus Diſtichũ uocãt: aliud ternis, quaterniſq; cũq; plurimũ ſenis. quod Polyſtichũ nominant. Iam & Hordeũ noſtra ætate aliud Autũno ſeritur, quod Hyemale dicitur, aliud Martio, quod Trimeſtre nuncupare licebit. Eſt et genus quoddã, inquit Theophraſtus, Hordei ſylueſtris, quo & panẽ ſuauẽ conficiũt, atq; Chõdrũ bonũ. Id Græcorũ equi cũ principio manderẽt interibãt, deinde paulatĩ cũ paleis aſſueti nil ledebant.

κριθῆ

κρίθὴ πολυσίχη Hordeum Polyſtichum.

κριθὴ. ὁλυρὰ Hordeum Diſtichum.



FORMA.

CVlmo Hordeum est Tritici, fragiliori, & breuiori, senis octonisq; geniculis articulato: folio scabriori, latioriq; : spica mordaci arista cincta, à foliis magis quam in Tritico eminente, granis oblongis folliculis inclusis, quæ ordine & in uersus quosdam dispositа sunt. Graciliori solo proficere potest.

Hordeum Achilleis uocatũ spicam gerit erectã, & eruginosum, tã candidum, quam nigrum est.

Eteocrithum incuruum à rubigine tutum. pluribus uersibus spicatur, & fere semper spissius, posituq; arctius constat.

Quod in duos tãtum uersus spicatur, rarius est.

Autũno satũ culmo est maiori, & firmiori, spicaque pluribus uersibus dispositа, citiusq; matureſcit

Trimestre teneriori est culmo, paucioribusq; in spica uersibus.

NOMEN.

HOrdeũ, Græcis κριθὴ dicitur, Germanis & Brabantis gerstẽ, Gallis Orge, Chymistis lutum Vulcani. Recta spica nascẽs. Achilleis ab Hippocrate Achilleias cognominatur. Quod incuruã spicã habet Eteocrithon. Pluribus uersib. spicatũ, Polystichũ dicitur, & à Columella Cãtherinũ dictũ uidetur, Germanis grosse gerst. Quod paucioribus distichũ, à Colum, galaticũ, Germanis

Kleyne

kleine gerſt: Autumno ſatum hyemale Hordeũ uulgo nominant, Brabanti winter gerſt. Vernum fere æſtiuum, nos auſi fuimus Trimeſtre appellare, Brabanti Somer gerſt.

VIRES ET FACVLTATES.

EX GAL. DE FAC. ALIM.

HOrdeum non eandem cum Tritico facultatem habet, Siquidem Triticum palam calefacit: Hordeum uerò non modo non calefacit, ſed quoquo modo eo utare, ſiue panes ex eo feceris, ſiue Piſanam coxeris, ſiue polẽtam feceris, uim quandam refrigerandi habere cernitur. Diſſidet præterea à Tritici natura, ſucci ſpecie, quam utrunque ipſorum gignere conſueuit. Siquidẽ Triticum, craſſum ac lentum eſt: Hordeum autem tenuem, & nonnihil deterſorium ſuccum in nobis gignit. Quoquo igitur modo Hordeum paraueris, nunquã corpus calefacit: ſed uarie pro modo præparationis humectat ac ſiccat. Panes Hordeacei Triticeis multo minus alunt, qui tamen ex præſtãtiſſimo Hordeo conficiuntur, minus à Triticeis in eo ſuperantur: qui uero ex laxo, ac leui, panibus furfuraceis reſpondent. Panes autem ex Hordeo eiuſmodi citiſſime per aluum ſubducuntur, quod reliquis non minimum accidit, ſi Triticeis eos contuleris. Sunt autem non modo Triticeis, uerum etiã

Clyri

Olyrinis & multo adhuc magis Typhinis friabiliores, nihil in se lentoris, ut illi habentes. Ex quo perspicuum est, quod exiguum corpori præbent alimetum, & potissimũ si facti ex peiore Hordeo fuerint, ex quo Hippocrates ne Ptisanam quidem fieri voluit: neque enim dum coquitur, succum copiosum ex se ipso emittit. Laudatissimum autem est, quod candidum, ubi pinsitum est, apparet, nonnihilque densitatis ac ponderis (quantum Hordeo datũ est) habet. Porro quod totum plenum est, & circumscriptionem externam habet tensam, melius eo est quod gracile est, ac rugosum.

EX GAL. DE FACVL. SIM.

HOrdeum primi est ordinis in exiccando, & refrigerando: habet etiam pauxillum absterssionis. Paulo etiam plus desiccat, quam farina fabacea, cui non insint cortices: cætera uero similia sunt foris utentibus, in cibo autem hoc fabis præstat, quod flatuosam naturam exuat: fabis quãtumcunque coxeris, flatuosa natura remanet, sunt enim crassioris essentiæ, quam Hordeum: quam ob rem eo plus etiam alunt: Porro quoniam utrunq; paulum modo à medio recessit, multo sunt usui. Nã talia medicamenta multis alijs miscentur, ceu materiæ quædam.

EX

HISTORIA FRVGVM
EX DIOSCORIDE.

HOrdeum optimum est candidum purumq;, id minus quam Triticum alit. Ptisana tamẽ ob cremorem in decoctione redditum, plus alimenti præbet, quam polenta, ex Hordeo facta. Contra acrimonias: atq; gutturis scabrities, exulcerationesq; pollet, quibus etiam Triticea Ptisana præsidio est, sed plus alit, magisq; urinam mouet: lac abunde suppeditat, si cum fœniculo semine, decocta sorbeatur. Hordeum abstergit, urinam ciet, inflationem parit, stomacho aduersatur, œdemata concoquit. Farina Hordeacea decoquitur in mulsa aqua cum fico, ut inflammationes, œdemata discutiat: durities cũ resina & fimo columbarum concoquit: cum meliloto autem & papaueris calyce dolores finit, qui latus excruciant: aduersus intestinorum inflationes, cum lini semine, Fœnogræco, & Ruta: illini iuuat: strumas cum pice liquida, cera, oleo, & impubis pueri urina, ad concoctionem perducit: & cum myrto aut uino, aut malicorio, aut syluestribus pyris, aut rubo, alui profluuia sistit: podagricis inflammationibus, cum coloneis aut aceto prodest: decocta in acri aceto, modo quo Hordeaceum cataplasma, & calida imposita, lepris medetur. Cremor uero farinæ ex aqua, atq; cum pice, & Oleo decoctus puri mouendo est: cum aceto

subactus,

ſubactus, itidem & cum pice contra articulorum fluxiones prodeſt. Farina ex his aluum cohibet inflammationeſq; mitigat.

EX PLINIO. Lib. XXII.

FArina ex Hordeo & cruda, & decocta, colle ctiones impetuſq; diſcutit, lenit & concoquit.

Decoquitur elios in mulſa aqua, aut fico ſicca. Ad iecinoris dolores eam in poſca poſitam con coqui opus eſt, aut cum uino. Cum uero inter coquendum, diſcutiendumq; cura eſt, tum in aceto melius, aut in aceti fæce, aut coloneis, pyriſue decoctis. Ad multipedum morſus cum melle: ad ſerpentum in aceto, & contra ſuppurantia: ad extrahendas ſuppurationes ex poſca, addita reſina & galla: ad concoctiones uero, & ulcera uetera cum reſina: ad duritias cum ſimo columbino, aut fico ſicca, aut cinere: ad neruorum inflammationes, aut inteſtinorum, uel laterum, uel uirilium dolores, cum papauere, aut meliloto, & quoties ab oſſibus caro recedit: ad ſtrumas cum pice, & impubis pueri urina: cum oleo & Fœnogræco contra tumores præcordiorum, uel in febribus cum melle, uel adipe uetuſto: Suppuratis Triticea farina multo leuior. Neruis cum hyoſciami ſucco illinitur. Ex aceto, & melle lentigini.

κίνχεω

κέγχρος Milium

REMBERTI DODONAEI

DE MILIO CAP. XI.

FORMA.

Milium ex una radice plures fũdit cau-les, geniculatos, arundinaceos: nõ spi-cam, sed iubam, hoc est effusam arun-dinaceam comam gerit: florem lanugi-neum: semen paniculis, siue multiplicibus folliculis pendulis inclusum: radice est alta, numerosa & ca-pillata. Milium æstate seritur, & intra quadra-ginta dies, ut Theophrastus author est meti-tur, ce-lerrime enim perficitur: aquarum minus quam reli-qua frumenta indiget, copiosioribus etiam offendi-tur, nam cum plus habet folia demittit. Semen plus centum manet annos, si condatur quo uenti nõ per-ueniant.

NOMEN.

Milium Latinis, κέγχρος Græcis, nonnullis Cenchrys dicitur. Hippocrati Paspale dictum uidetur, ut Hermolaus inquit. Germani Hirsch, Galli millet nuncupant, officinis & uulgo medicorum notum.

VIRES ET FACVLTATES.

EX HIPPOCRATE:

Milij grana ac paleæ siccãt, et uentrẽ sistũt, et cũ ficubus, fortibus doloribus cõferunt. Ipsum aũt Miliũ coctum alit, nõ tamẽ aluo secedit.

HISTORIA FRVGVM.

EX GALENO DE FACVL. ALIM.

PAnis qui ex Milio fit, exigui est alimenti, frigidus, præaridus, & friabilis, nihil enim in se habet, neque lentoris, neque pinguedinis: iure ergo aluum humentem desiccat, ueluti & Panicū, quo tamen ad omnia est præstantius, suauiusque editur, facilius concoquitur, uentrem minus sistit, magis nutrit.

EX GAL. DE FACVL. SIM.

MIlium primo ordine refrigerat, exiccat uero tertio, aut certe secundo intenso, paulum etiam habet tenuitatis. Ex hac, tū consistentia, tum temperatura esu quidem plane inter omnia fere frumentacea edulia minimum confert nutrimenti. Sed & uentrem desiccat. Porro foris impositum in sacculis, idoneum est fomentum ijs, q extra morsum exiccari postulant: & cataplasmatis modo illitum exiccare potest: attamen admodū friabile est: proinde difficilis est eius in cataplasmatis usus.

EX DIOSCORIDE.

MIlium in panes coactū, minus cæteris frugibus alit, sistit pulte sua aluum, urinam cit. Torretur Milium, feruensq; in sacco ponitur, ut torminibus, reliquisq; doloribus, si fouetur auxilio sit.

Ex

EX PLINIO LIB. XXII.

Milio sistitur aluus, discutiuntur tormina, in quem usum torretur ante. Neruorum doloribus, & alias feruens in sacco ponitur: nec quicquam aliud utilius, quoniam leuissimum molissimumq; est, & caloris capacissimum. Itaq; talis usus eius est. ad omnia quibus calor profuturus est. Farina eius cum pice liquida, serpentum & multipedæ plagis imponitur.

HISTORIA FRVGVM.

Milium Indicum.

DE MILIO INDICO Cap. XII.

FORMA.

Milium Indicũ culmo est prægrãdi, crasso, arũdineo, geniculato, quinũ senum ue pedũ proceritate: folia habet lata, lõga & arũdinea: spicã in summo caule muticã, multiplicem, & iubæ ferè modo, multifidã, pendulam, uacuam, & nullum semen proferentem, florescentem tamen, flore purpureo, rubeo, luteo, aut candido. A latere caulis ex internodijs prodeunt, crassæ, oblongæ, membranosæ uaginæ, in quibus spicæ prægrandes, & crassæ, multis arundineis foliijs inuolutæ latent, grana cõtinentes, ampla. Eruiliæ fere semini æqualia, coloris purpurei, rubei, lutei, aut candidi, quæ in uersus & ordines, arctißime composita sunt: ex quarum summo filamenta quædam capillorum instar, tenuia propendent, quæ marcescentia semen maturuisse docent.

NOMEN.

HOc Frumenti genus ut peregrinum est, & à paucis annis, in Germania, Gallia, & Brabantia seri septum, ita etiam antiquũ, quod sciam nomen non habet, præter quod Plinius huic Milio Indico indidit, quod Neronis principatu in Italiam conuectum scribit. Hac ætate frumentum Turcicum, aut Saracenicum nominatur:

inde quod ex Asia, aut Græcia, quæ Turcarũ imperio modo parent, aduectũ existimetur. Germani Turckisch corn. Brabanti Torsch coren, Galli blé de Torquie nominant.

VIRES ET FACVLTATES.

Milium Indicum in nutriendo Triticeis omnibus frumentis, ipsoq; Hordeo longe est inferius, substantiam enim habet siccam, aridam, ac friabilem, nihil lentoris continentem. Panis qui ex eo apparatur, mediocriter candidus est, sed siccus ueluti biscoctus, durus et friabilis, difficilis concoctionis, nullum corpori alimentum, aut per quam exiguum suppeditans, tarde descendens, et aluum ualenter constringens, ueluti ex Milio factus. In cataplasmatis farina addita citra morsum desiccare potest.

Ελυμος Panicum.

HISTORIA FRVGVM.

DE PANICO Cap. XIII.

FORMA.

PAnicum Milij similitudine prosilit, denis ad minimum folijs luxurians: culmo arundinaceo, paulatim in surculo extenuato, multis geniculis, & subinde duodecim articulato: spica languida, nutante, molliter hirsuta, rubido fastigio, cum longissima pedali, prædensis aceruata granis, multiplici folliculo intectis, purpureis, nigris, rufis, aut candidis. Minus cum in folia exit rigari desiderat, nam & crebra aquatione folium demittit, ut Milium: sed ualidius Milium, dulcius Panicum, & infirmius: purgari non nisi tostum, ut Milium potest. Calidis & siccis regionibus seritur: leuem, & solutam terram desiderat.

Scr-

Sorghi.

SORGHI.

EX Panici quoque genere esse uidetur, quod Sorghi hæc ætas nominat frumenti genus, quod culmos fundit, ab una radice quaternos, quinosue, crassos, rubicundos, geniculatos, & circa hos folia arundinea, ampla & magna, sticam ferens Panico maiorem, densiorem, barbatam, in qua semen rufum, lentis magnitudine, pluribus tunicis inuolutum continetur.

NOMEN.

PAnicum Græcis ἕλυμος, nonnullis μελίνη aut μελίνος, uocatur. Diocles Medicus mel frugum appellauit. Germanis Heydelpfenich, aut Pfenich: Brabantis panickoren dicitur. Latini à paniculis, in quibus semen continetur, nomen panico dedere.

Aliud peregrinum frumenti genus Itali Sorghi nominant: Germani welschen hirs, aut Sourgsomen, Galli fourment barbu, aut bled barbu. Ruellius: loculare, à multis ueluti loculis in quibus semen continetur. Nonnulli Panicum peregrinum, aut Panicum Indicum cognominant, idipsum uidelicet ex Panici genere esse uolentes, quorum sententia probabilior multo est, quam eorum, qui hoc inter farris genera numerant. Nam cum farre nullam cognationem, aut similitudinem habet, cũ Pa-

nico

nico autẽ multã, licet ipſum magnitudine ſuperet.

VIRES ET FACVLTATES. EX GAL. DE FAC. ALIM.

PAnis qui ex Panico fit, ut & is, qui ex Milio, exigui eſt alimenti, frigidus, præaridus, friabilis: nihil in ſe habens neq; lentoris, neq; pinguetudinis, quare & aluum humentem deſiccat. Nihil enim ſuauitatis Panico ineſt.

EX GAL. DE SIMP. MED. FACVL.

PAnicum facultate pauci nutrimenti eſt, & exiccatoria: ſiſtit quoque nonnihil uentris fluxus, ceu Milium. Si uero foris illinatur, exiccat atq; refrigerat.

EX DIOSCORIDE.

PAnicum eodem quo Milium modo, in panes ſubigitur, eoſdem habet uſus, minus tamen, & nutrit & ſtringit.

EX PLINIO.

PAnicum effectus habet quos Milium, in uino potum prodeſt dyſentericis, ſimiliter ijs quæ uaporanda ſunt, excalfactum imponitur. ſiſtit aluum, in lacte caprino decoctum, & bis die hauſtum: ſic prodeſt & ad tormina.

De

HISTORIA FRVGVM.

DE AVENA. CAP: XIIII.

GENERA.

AVenæ, recentiores duo numerant genera: satiuum & Syluestre: quæ à ueteribus, quia res diuersæ sunt, & nominibus distinctæ, non sub uno genere censentur. Quos hac in parte imitari uolentes, Auenam eam tantũ describemus, quam satiuam nominant, quæ scilicet uera est Βρόμος: Syluestrem aliam, quæ non ex frugum, sed uitiorum est genere, à Græcis αἰγίλοπα aut γιλόπα nuncupatum prætermittentes. Non enim frugum uitia, sed fruges, ipsaque frumenta hoc libello explicare instituimus.

Βρόμος

REMBERTI DODONAEI.

Βρόμος. Auena.

HISTORIA FRVGVM.

FORMA.

AVena, culmo geniculato, folioq; Triticum emulatur: in cacumine ueluti iubam emittit, ex qua dependentes paruulas ueluti locustas bipedes gerit: in quibus semen conditum cõtinetur oblongum & superiori parte molli, breui, paruoq; capillo hirsutum, radicibus nititur copiosis.

NOMEN.

AVena Græcis βρόμος, Germanis Habern, Brabantis Hauere, Gallis Auoyne dicitur: officinæ Latinum nomen seruant.

VIRES ET FACVLTATES.

EX GA. DE FAC. ALIM.

AVena iumentorum est alimentum, non hominum: nisi utiq; aliquando extrema fame, ad Panes ex ea conficiendos cõpellantur. Citra famẽ autem cocta, ex aqua manditur, cum uino dulci, aut sapa, aut mulso, non aliter quam Typha. Caliditate autem sufficienter particeps est, ut & illa, quanquã non æque dura: ex quo minus quoq; corpus nutrit, & panis qui ex eo fit, alioqui est insuauis, nõ tamen aluũ, aut sistit, aut proritat, sed, quod ad id saltem pertinet, medium locum obtinet.

EX LIB. DE FACVL. SIM.

AVena, ut medicamẽtum, similẽ Hordeo uim obtinet: nam illita desiccat, et digerit mediocriter,

criter, & ſine morſu. Temperiem autẽ habet pau lo frigidiorem. Nonnihil etiam aſtrictionis obtinet ut uentris profluuia iuuet.

EX DIOSCORIDE.

AVena ad Cataplaſmata utilis, uti Hordeum pulte huius aluus ſiſtitur, prodeſt tuſſientibus in ſorbitione ſuccus.

EX PLINIO.

Lib. XXII.

SEmen utile ad cataplaſmata, atq; Hordeum & ſimilia. Prodeſt tuſſientibus ſuccus.

Auenæ farina, in aceto cocta, tollit neuos.

DE TRAGOTROPHO. Cap XV.

HOc ſemen quamuis frumentaceis cere alibuſq; frugibus ſimile non ſit, quia tamen nonnullæ nationes, eo, ue- luti frumento utuntur, inter frumentacea, aliquem locum iure habere, exiſtimauimus. Familiare autem eſt pleriſq; Germaniæ locis: notiſſimumq; his, qui Brabantiæ Campaniam incolunt, qui hoc ſemine & frumenti loco ſepenumero utuntur, & uiridem herbam, antequam ſemen maturue rit, deſectam pabuli loco pæcudibus exhibent, cuius gratia potiſſimum, & id ipſum ſeruant.

Trago-

HISTORIA FRVGVM.

Thapsotrophon.

FORMA.

TRagotrophon scapo exit rubente, geniculato, cubitali, aut altiori, alis multis Brachiato: folium fert hederæ, aut Smilaci proximum, uerum mollius, ac minus: florem paruum candidum: Semen in pericardijs, ut Malacocißi triangulum, coloris cineritij. Seritur arido, & macro solo, neq; ullũ respuit: gaudet imbribus: cito prouenit, celeriterq; maturescit.

NOMINA.

HOc genus siue frumenti, siue pabuli, Germani Heiden korn. Brabanti bockweijdt, hoc est hirci pastum, nominant: ad quod alludentes Tragotrophõ diximus. Quamq; nonnullis uiris doctißimis magis placeat, saginum Frumentũ appellari, qui uernaculam nomenclaturam, non ab hirci pastu, sed à fago deflectunt: Buecken siquidem fagum significat.

Apud ueteres nullum quod sciam nomen habet, nõ enim Columellæ, aut Varronis Ocymũ illud est, quod pecudibus pabuli loco datur, ut nonnulli errore ducti existimant: nam Ocymum illud de quo agriculturæ scriptores scribunt (quod ab Ocymo odorata herba differt) ueluti farrago quædam est, omnium Herbarum, & leguminum pabuli causa satorum, & aut æquam siliquos ferant demessorũ:

Ita ut Ocymum *istud. Varroni, Plinio, & Columellæ nihil aliud sit, quam pabuli nomen, quo omne genus segetum continetur, quod pabuli causa seritur, ut Varro lib. secundo, capite trigesimo primo, manifeste tradit, de Ocymo scribens: Id genus pabuli sunt, inquit, segetes uirides sectæ, antequã siliquas ferant. Et multo etiam apertius Plinius libro decimo octauo, capite decimo sexto: Apud antiquos, inquit, erat pabuli genus, quod Cato Ocymũ uocat quo ciebant (sic enim legendũ Cato docet, non ut uulgaria exemplaria habẽt sistebant) aluũ bubus, id erat è pabulis segete uiridi dissectæ ante quã gelaret. Sura Manilius id aliter interpretatur, & tradit fabæ modios decẽ, uiciæ duos tantundem & Eruiliæ in iugero autumno misceri, & seri solitos, melius & Auena græca, cui nõ cadit semen admixta. Hoc uocitatum Ocymum, boumq; causa, seri solitum, uarro appellatum, à celeritate proueniendi ait. Huc usq; uerba Plinij. Ex quibus sane manifestissimũ est, Ocymi nomen nulli Herbæ (excepta odorata) aut frugi peculiare & proprium esse, sed de omnibus Frugibus pabuli causa satis, quæ antequam siliquæ proueniant, demetuntur, dici. Nihilque aliud Ocymum quam pabuli commune nomen, ueluti & farrago, esse: nec non & Tragotrophon istud, aut frumen-

tum

tum faginum, à nobis appellatum, neutiquam Ocymum appellari posse, nisi quatenus ante maturitatem demessum pabuli loco pecudibus datum fuerit. Qua de causa, & temere à nonnullis Ocymum appellatum esse. Hic tamen error ferendus uideri poterat (eo quod in Ocymum, id est pabulum nonnunquam cedat) nisi errorem errori accumulantes, de hoc Ocymo pabuli genere, Dioscoridem lib. secundo cap. centesimo trigesimo quinto de Ocymo, scripsisse adijcerent, cum tamen nullam omnino Dioscorides Ocymi pabuli mentionem fecerit, sed solius Ocymi Herbæ odoratæ quam recentiores Græci Βασιλικόν nominant. De quo quæ Dioscorides scribit Galenicæ doctrinæ consona, haud dubie uerissima sunt. Quanquam recentiores, qui gaudent nouas sequi hæreses, in crassa rerum ignorantia uersantes, huic contrarias facultates tribuant, & cor roborare: spiritus uitales augere: & tristiciam pellere existiment.

VIRES ET FACVLTATES.

TRagotrophi semen in panes coactũ, quod subinde necessitate urgẽte fit, exiguũ corporialimentũ præstat: humidus enim admodũ est panis qui ex eo fit, & cito descẽdit. Ex farina eius cũ

ſubacta panificij quoddam genus, in ſartagine fit, aut craſſior quædam pulticula, quæ pane etiam citius deſcendunt, & minus nutriunt, ſed urinam pro uocant. Capones, Gallinæ & pulli Gallinacei hoc ſemine citiſſimè pingueſcunt, & ſuauem ac laudabilem carnem colligunt, ſed oua Gallinarum improbi ſaporis fiunt.

DE FABA. Cap. XVI.

FORMA.

FAba folio exit rotundo: caule unico, inani, nullis diſtincto internodijs, firmo, atq; erecto, qui nullo adminiculo eget, ſed ſolus ſine pedamento ſtare poteſt ueluti & lupini. Floret diu, & particulatim, ſubinde alijs atq; alijs floribus prodeuntibus. Semen fert in ſiliquis abſolutiſſimæ rotunditatis, paruum atq; tam numeroſum, ut & unus ſcapus centum onuſtus fabis inuentus olim fuerit, quod facile eruginem ſentit, & animalcula in ſe creat (quas Mydas appellant) & humorem maximè ad ſe trahit: corpore enim eſt raro, ſoluto atq; eualido. Radice nititur parua, nec admodū numeroſa. Quadrageſimo à ſatione die Faba emergit: imbribus in flore gaudet: cum ſiliquas produxerit maxime offenditur: utroq; tempore afflatum uehementiorem nō fert, maximè poſt florem,

cum

cum adhuc humida teneraq; est.

NOMEN.

Κύαμος Græcis, latinis Faba dicitur, Officinis, & uulgo ignotißimum legumen, quanquam olim nulli non notißimum, & tam palam cognitum fuerit, ut formam effigiemq; eius, nullus ueterum ex industria, & proposito tradendam duxerit: sic ut & uere fabæ descriptione nos carere oporteret, si non sparsim scripta quædam supereßent, ex quibus Fabarum forma disci posßit. Quæ nos in unum corpus ueluti diuulsa membra contraximus, ex ijs quæ apud uarios quthores sparsim, & obiter scripta inuenire potuerunt, unam continuam historiam, formam faciemq; Fabarum explicantem, constituentes. Ex qua quale legumen sit quod antiquitati fuit frequentißimum, & Pythagorico symbolo damnatum facile cognoscere erit: tum & uidere legumen illud quod uulgo Fabarum nomine falso circunfertur, multum à Fabarum similitudine recedere, quod & in subsequenti capite facta utriusq; leguminis collatione, apertius ostendemus. Cur autem Pythagoræ symbolo Fabis uesci interdictum fuerit, quia multorum ingenia sollicitauit, & interpretum uariæ sunt interpretationes, facturum me non ingratum lectori existimaui, si quod nobis de

eo ſymbolo uiſum fuerit, hoc loco interiecerimus. Videtur autem nobis nihil aliud Pythagoras hoc Symbolo admonere, quam auaros eſſe deteſtandos, & ab omni auri argentiq; immodica cupiditate abſtinendum. Per fabas enim eum enigmatice intelligere auaros auriq; inſaturabilem famem exiſtimo, atq; ad Mydarum uermiculorum qui Fabis innaſcũtur, nomen alludere, qui idem cum auariſſimo quodam Myda nomẽ habẽt. Qui auri pecuniæq; ſitientiſſimus, & inexplebili auri fame detentus Iouem etiam rogaſſe dicitur, ut quæcunq; contrectaret, aut corpore contingeret, in aurum uerteretur. Aqua immodica cupiditate, & pariter ab auaro rum hominum conſortio, omnes philoſophiæ ſtudioſos abeſſe uolens, a Fabis abſtinendum, ut diximus, præcepit. Nam qui auro, argento, & opibus anhiant, nunquam ad perfectam ſapientiam peruenire poſſunt.

VIRES ET FACVLTATES. EX HIPPOCRATE.

Fabæ alunt, aluum ſiſtunt, & inflant. Inflant, quia meatus aliud inſuper accedens alimentũ, non ſuſcipiunt. Aluum ſiſtunt, quia totam alimenti fecem habent.

EX GAL. DE ALIM. FACVL.

FLatulentus cibus Faba est, etiam si coctа diutissimè fuerit, ac quouis modo parata. Habent autem substantiam Fabæ non densam, nec grauem sed fungosam, ac leuem: quæ uim quandam habent detergẽdi. Apparet enim perspicue ipsarũ farina, sordes à cutè detergere, quod mangones, & mulieres intelligentes, in balneis quotidie farina Fabarũ utuntur, quemadmodũ alij nitro, atq; aphronitro, & in summa detergẽtibus: hac præterea & faciẽ inungũt. Tollit enim lentes, quæ in summa cute apparẽt, & quã uocant ἐφέλιδας: ob quam sanè facultatem uentrem non cunctanter permeat, ut quæ crassi sunt succi, ac lenti, quæq; nullam detergendi facultatem habẽt. Cum autem Fabarum puls sit flatulenta, multo adhuc magis erunt flatulentæ, si quis integris ipsis coctis utatur. Si tamen frixæ fuerint (quidam enim hoc modo. Tragemata uice utuntur) flatum quidẽ deponunt, sed concoctu sunt difficillime, tardeq; prætereunt, & crassi succi alimentũ corpori exhibent. Quod si uirides, priusquã maturæ sint, atq; exiccatæ edantur, idẽ eis accidet quod fructibus omnibus, quos ante perfectam maturitatem mandimus, humidius scilicet alimentum corpori præbebunt: obq; id excrementosius, non in intestinis modo, sed in toto etiam habitu.

Merito igitur Fabæ eiuſmodi minus quidem nutriunt, ſed fromptius deijciuntur.

EX GALE. DE SIMPLI. FACVL.

FAba *in utroq; medij temperamenti proxime eſt in exiccando, & refrigerando. Caro eius paulum quoq; abſtergentis facultatis cõtinet, ſicut putamen nonnihil aſtringentis, idcirco medicorum nonnulli totam Fabam cum oxycrato decoctam dyſentericis, cœliacis, uomentibus, quos ἐμετικοὺς nominant, exhibuerunt. Porrò ut edulium, flatulenta eſt, ac coctu difficilis, ſi quid aliud: excreationibus ex pectore & pulmone idonea, ut medicamentum uerò foris impoſita, deſiccat innoxie. In podagricis ea ſepenumero uſi ſumus ex aqua cocta, & ita adipi ſuillo admiſta. Ad nervorum tum contuſiones, tum uulnerationes, farinam eius cum oxymelite impoſuimus. Ad eos quos ex ictu iam Phlegmone occupauerat, cum polenta. Sed & teſtium, & uberum aptum eſt cataplaſma. Nã hæ partes cum Phlegmone tenentur, moderate refrigerari amant, maxime cum ubera ex lactè in ipſis concreto Phlegmonem patiantur. Quin lac quoq; ab eo cataplaſmate extinguitur, ſicut puerorum pubes farina fabacea illita plurimo tempore glabra permanet.*

Ex

EX DIOSCORIDE.

FAba inflationem excitat: egre concoquitur: tumultuosa somnia facit: ruβi confert: carnem gignit: media calidi frigidiq; natura: decocta in posca, & cum suo cortice esitata, dysenterias, & cœliacorum profluuia sistit: Contra uomitiones conuenienter manditur: inflatio lenior contrahitur, si aqua prior inter coquendum abijciatur: uiridis plus negocij stomacho exhibet, maioremq; flatum parit. Lomentum eius & per se, & cum polenta illirum inflationes quas uulnus excitauit mitigat: cicatrices concolores facit: turgentes grumoso lacte mammas, etiam si inflammatione tententur, adiuuat: Lac restinguit: furunculos, sugillata, parotidasq; cum fœnigræci farina & melle discutit: cũ rosa autem thure & oui candido, procidentes oculos, tumores uuasq; reprimit: subactum uino, suffusiones, & ictus oculorum recreat. Manducata sine cortice Faba, ad auertendas fluxiones frontí illinitur: decocta in uino testiũ collectiones sanat: quo tardius pubes erumpat, pueris imo uentri illinitur: uitiliginem purgat. Fabarum cortice illiti capilli, quĩ post euulsionem renascuntur, gracilescũt, & minus alimenti capessunt: cũ polenta, scisso alumine, & uetere oleo impositi cortices strũmos discutiunt:

cutiunt: decocto earum lanæ inficiuntur. Faba dempto cortice in illas partes diuisa, in quas suapte natura scinditur, imponi solet sanguinis defluxionibus ab hirudine concitatis: namq; eas supprimit, si semisecta apprimatur.

EX PLINIO Lib. XXII.

FAba hebetare sensus existimatur, insomnia quoq; facere: solida fricta feruensq; in acri aceto coiecta torminibus medetur: in cibo fressa, & cum allio cocta, contra deploratas tusses, suppurationesq; pectorum, quotidiano cibo sumitur: & commanducata ieiuno ore, etiam ad furunculos maturandos, discutiendosue imponitur: & in uino decocta, ad testium tumores, & genitalium. Lomento quoq; ex aceto decocto, tumores maturat, atque aperit. Item liuoribus combustis medetur: nocti eam prodesse author est M. Varro. Fabalium etiam siliquarum cinis ad coxendices, & ad neruorum ueteres dolores cum adipis suilli uetustate prodest. Et per se cortices decocti ad tertias sistunt aluum.

DE PHASELO. Cap. XVII.

GENERA.

PHaselus unus maior fructu latiori, alter minor, fructu minori, et magis tereti: uterque satiuus. Est uero & syluestris aterrimi & rotundi grani.

Phaselus

Phaſelus. Satiuus.

Phaſelus. Syluestris.

FORMA.

Sativus Phaselus scapo exit quadrato, inani geniculato, recto, qui tamen sine pedamẽto, si solus sit nix consistere potest, sed adminiculo, quo sustentetur eget: folio non rotundo, sed lõgo carnoso, & crasso: flore candido atris quibusdam maculis notato, aut purpureo: Siliqua lata, crassa interiori parte floccida, molli & candida, in qua terni aut quaterni fructus continentur candidi aut purpurei (duum enim est hic generum candidus scilicet & purpureus) magni lati & unguis humani similitudine, subinde maiores, pondere tres etiam obolos æquantes.

Aliud satiuum genus priori simile est caule, foliis, flore, & siliqua, sed omnibus minoribus: fructu tamen non æquè lato sed magis tereti.

Syluestris phaselus folio & caule satiuis quoque adsimilis est, nisi quod folium in capreolos desinat, & caule minus firmo & teneriori sit. Siliqua huic latior foris nigra, interiore parte mollis, & modice floccea, in qua grana prodeunt rotunda ut eruiliæ: colore aterrima: gustu admodum insuauia, & fœtore quodam dum manduntur os implentia.

NOMINA.

SAtiuum Phaſelorum genus omnibus notiſſimũ eſt, quanquam non eo nomine. Quod enim Germani & Brabanti Bonen, Galli Febues, Officinæ, & noſtræ tempeſtatis medici Fabam nominãt, uerus eſt Phaſelus & omnino idem cũ eo legumine quod à Dioſcoride, libro ſecundo, capite centeſimo, Phaſiolus per ι ω τα ſecunda ſyllaba ſi ſcripta nominatur, alius tamen à Phaſeolo per η τα ſecunda ſyllaba notata. Tryſyllabus enim φασήλος, à Φασηολῶ, Terraſyllabo differt: ut primo de alimentis libro Galenus tradit. Et in hanc quidem opinionem nos in primis induxit formæ, cum Phaſcolis, qui Dolichi dicuntur, ſimilitudo, utriq; enim forma lata, & minime rotunda, & Fabæ quidem uulgaris ter nuncupatæ moles maior, Phaſeolo uero ſiue Dolicho minor: unde et Dolichi Phaſeoli quaſi parui Phaſeli, diminutiuo nomine, dicti uidẽtur. Quod ſi recipimus, omnino fabas iſtas uulgares, Phaſelos eſſe confitendũ erit. Nullũ enim reperitur legumen Dolicho fructu ipſo ſimilius, cuius collatione Phaſeoli id eſt parui Phaſeli dici poſſunt, eo quod hactenus pro Fabis habitũ eſt. Sed quod omniũ maxime nos mouet, & nouũ coëgit uulgaribus Fabis nomẽ quærere, ingẽs in primis & plane manifeſtũ fuit

inter ueras, & communes Fabas discrimen, & dissimilitudo tam magna, quam quæ maxima. In nullis siquidem, aut certe perpaucis, communiter Fabæ appellatæ, cum ueris Fabis conueniunt: quod multis rationibus demonstrare aggredimur, ab ipso primum caule demonstrationis exordium sumentes. Faba inter legumina sola, excepto Lupino, ut Theophrastus inquit, caule est unico, firmo, qui sine pedamẽto erectus stare potest: uulgare autẽ istud legumen, à uulgo Fabarum nomine donatum, non unicũ tantum caulem sed subinde etiã tres ab una radice fundit, qui etiam uel minimæ causæ aduentu in terram decidunt, potissimum quando istud legumen seorsum satum prouenerit.

Iam & Fabarum legumen fœcundum admodum est, ut & unum scapum centum onustum Fabis, inuentum Plinius tradat: ab hac autem fœcunditate multum nostræ deficiunt. Ad hæc Fabarum figura exquisite rotunda est: uulgaris uero leguminis lata, & longa. Rotundam autem esse Fabarum figuram, ex eo colligere licet, quod rotunda semina, & quæuis alia eius formæ, Fabis apud ueteres comparata fuerint, quemadmodum in Xyri, apud Dioscoridem uidere est, cuius rotundũ semen Fabis cõparatur. Quin & Galenus ipse, undecimo de simplicibus Onis-

Ouiſcos, quos multipedas, ſiue polypodas Scribonius appellat, etiam Cyamos, id eſt Fabas appellari ſcribit, quod ubi ſeſe in globum conuoluerint, eſculentis Fabis ſint ſimiles, hoc eſt abſoluta rotunditate conſticui. Item & primo de alimentis, de uitia & Aphace capite, manifeſte figuram Fabarum eſſe rotundam innuit, hunc in modũ ſcribens: horũ ſeminum, inquit, figura non eſt rotunda ueluti Fabarũ. Iam & Cornelius Celſus Achrocordones. Thymos, Epinyctidas, rotũda, uidelicet tubercula, fabisſimilia eſſe tradit, ut certe dubitare nemo poſſit, quin uerarum Fabarum figura ex omni parte rotunda, & inſtar abſolutiſſimæ pilulæ ſit. Quod ſi uero iam & molem, ſiue quantitatem ueræ fabæ conſiderare lubet, noſtræ certe uulgares Fabæ, ueris multo reperientur maiores, ut quæ ſolæ ſemidrachmam pendeant, cum tamen uerarum illarum ſex, aut etiam plures, eam non attingant, ſex enim Fabæ Aegyptiæ ſemidrachmam ſolum pendent, quæ ueras, & Græcorum olim communes Fabas, magnitudine, ut in libro de ponderibus Galenus teſtis eſt, ſuperant. Paruam quoq; Fabarum quantitatem eſſe, ex eò apparet, quod minutiſſima quæque, quæ uidelicet in aurium meatum incidere poſſunt, his comparentur: Si calculus, inquit, Galenus, aut Faba, aut conſimile quippiam, in auditorium

meatum

meatum illapsum fuerit. Si enim in aurem Fabæ incidere possunt, exiguas, & omnino paruas eas esse necessum est. Facit quoq; ad hæc, quod Attici Aphacem & uitiam etiam Cyamum, id est, Fabam nominant, ut Galenus quoq; ait: nimirum quia paruæ, & quantitate Fabis persimiles. Ex his certe manifestißimum est, ueras Fabas admodum paruas esse, & uulgari isto legumine, quod Fabarum nomine falso circunfertur, multis modis minores: Omitto iã & alia argumẽta, ueluti Fabas sero ut Theophrastus scribit prodire, & subinde uigesimo die etiam primum apparere, uulgares autem celerrimè enasci: illas imbribus offendi, has meliores reddi: & si quæ sunt similia argumẽta, quæ cœli, regionum, aut locorum diuersitate accidere, dicere quispiam posset. Abundè enim argumentorum adductum puto, quibus uulgares Fabas, à ueris Fabis, multum abesse doctum sit. Cum igitur istud uulgare legumen, Faba non est, reliquum est ut Phaselus sit, ut sicuti fructus forma à Phaseoli fructu non multum dißidet, ita & nomine quodammodo conueniat.

Syluestris Phaselus à nobis dictus, an ueteribus cognitus fuerit, non facile dixerim: ueriſimilius uidetur fuisse incognitum. Quanquam in suspicionẽ uenire aliquis posset, esse syluestre illud Cicer, quod

No. Bibl. Estadual, 1893

quod Dioscorides scribit satiuo non esse dissimile, quod omnino hunc Phaselum esse existimauerim, si similitudo in solo spectanda esset grano, & non in folio, & scapo, quibus à satiuo Cicere differt, ad Phaseli formam magis accedens. Atq; ea de causa nobis magis Phaselo quam Ciceribus adnumerandus uisus est.

VIRES ET FACVLTATES.

EX GAL. DE FAC. ALIM.

PHaselus medium quodammodo locum obtinet, inter ea, quæ succum bonum, & prauũ generant: inter concoctu facilia, & difficilia: tarde & celeriter transeuntia: flatulenta & flatus expertia: parum & multum nutrientia. Nullam enim effectricem habet qualitatem, instar quorundam, quæ acres, aut austeros, aut acerbos, aut salsos, aut amaros, aut dulces habent sapores.

EX DIOSCORIDE.

PHaseoli inflant, spiritus cient, ægre concoquuntur, uirides cibo aluum emolliunt, aduomitiones idonei.

Phas-

Phaseolus. Δολίχος.



Gg

Phaseolus vulgaris L.
Fam. 4. Gen. 25

HISTORIA FRVGVM.

DE PHASEOLIS SIVE DOLICHIS. Cap. XVIII.

FORMA.

Haſeolus, ſiue Dolichus, tenues & longos habet caules, uicinis fruticibus aut prælongis pedamentis affixis, circumuolutos, qui in tantum adoleſcunt, & ſcandūt, ut Tabernacula & Topiarias ſcenas, ac æſtiua umbracula ueſtire poſſint: folia uenoſa, hederæ ſimilia terna ex uno pediculo: ſiliquas longas, in quibus ſemina rembus ſimilia, colore aut candido aut luteo, aut purpureo, aut nigro, aut ſtario, quæ cum ſiliquis ipſis etiam eduntur.

NOMINA.

Φασηολος per u ſecunda ſyllaba ſcripta, ab Hippocrate, Theophraſto, & Diocle σολιχος à longitudine ſiliquarum dicitur, quas lobos, & lobia, id eſt ſiliquas, ſpeciali nomine appellāt, quod inſignes ſint: quanquam etiam, & ipſa tota planta ſubinde Lobus dicatur. Phaſeolum autem, Dioſcorides Smilacem hortenſem uocat: quoniam rami eius inſtar Smilacis, capreolis ſuis uicinis fruſtibus, & pertices ſeſe connoluentes Topiarias ſcenas adumbrēt:

Germani

Germani fere welsche bonen, & windt bonen: Brabanti Roomsche Boonkens: Galli facioles appellant. Non leuiter autem errant qui Phaseolum latinorum, Eruiliam esse putant. Eruiliæ enim folium longum est, ut refert Plinius: Phaseolis uero lata, & hederæ quodammodo similia & uenosa sunt. Nec his multo minus hallucinantur, qui Phaselum cum phascolo idem esse autumant, ex quorum numero Serapio est, qui sub Lubiæ nomine, quod à lobo depravatũ est, Phaselos & Phaseolos cõfundit.

VIRES ET FACVLTATES.

EX HIPPOCRATE.

DOlichi magis Pisis per aluum secedunt, minus inflant & probè alunt.

EX DIOCLE.

DOlichi non minus quam pisa nutriunt: præterea flatu similiter carent: quod uero ad suauitatem ac deiectionem pertinet uincuntur.

EX DIOSCORIDE.

SIliqua cocta cũ semine in oleribus, asparagi modo, estur: urinã cit, & tumultuosa somnia facit.

EX AETIO.

DOlichi Pisis similes sunt quantũ ad minimam flatus generationem, quantum uero ad iucunditatem cibi, & egestiones, peiores. Cum siliquis suis comeduntur.

HISTORIA FRVGVM.

DE PISO Cap. XIX.

GENERA.

Ipsorum ueteres unum tantum describũt genus: Posterior ætas multa inconsideratè confundens, duo & ea quidẽ summa fecit. Vnum maximum, grano inæquali & anguloso: aliud minus, grano rotundo coloris aut candidi, aut uiridis, aut obsoleti & nigro proximi. Ex quibus cum illud ueterum solum sit Pisum, quod omnium longè maximum, de eo solo hoc capite agemus: aliorum rotundi grani, quæ â ueteribus Ochri & Eruiliæ nominantur explicatione in subsequens caput reseruata.

Pisum

Pisum.



Pisum sativum L.
J. Fl. 2. 399

FORMA.

PIsum, ut Theophraſtus author eſt, multifoliũ, terreum, uagum, amplumq; : totum implens locum etiam ſi amplo interuallo poſitum ſit: leguminum omnium fragiliſſimum folium habet, authore Plinio, longum: ſiliquas cylindraceas, hoc eſt teretes & longas, & granum anguloſum. Quod ex eo conſtat. Quod Plinius, libro decimo octauo capite duodecimo, Cicerculam quãdam minuti Ciceris, inæquales angulos habẽtem, Piſo ſimilem dicat. Niſi enim Piſum anguloſum eſſet, anguloſa illa Cicercula, nullo modo illi comparari poſſet, ueluti angulos inæquales ut Piſum habens.

NOMINA.

LEgumen hoc Græcis πίσον καὶ λέκυθον, Latinis Piſum dicitur. Recentioribus Piſum Romanum, quod inſigne ſit, & in altitudinẽ increſcat: Brabãti Koomſche Erwten, Groote Erwtẽ, & à nonnullis ſtock Erwten. Et eſſe quidẽ hoc Romanum Piſum, uerum antiquorum Piſum, conferenti huius formam ad ueterum deſcriptiones, facile conſtare debet. Hoc enim Romanum Piſum, caules habet fiſtuloſos, ramoſos in terram ſtrarſos (niſi affixo pedamento ſuſtententur) & fragiles: folium frequens,

frequens, amplum & longum: florem candidum, circa umbilicum purpurea signatum nota: siliqua longa, tereti, cylindri plane aut columnæ figura, in qua grana cõtinentur Ochris id est uulgaribus Pisis maiora, quæ cum maturuerũt anguloſa ſunt, & colore ſordido ex cineritio in punicum inclinante. Ex quibus cõſtat neceſſario errare eos, qui hoc Romanum Piſum, Græcorũ Piſum eſſe negant, & aut Phaſelũ, aut Dolichũ eſſe, temerè cõtendunt, infinitis reclamantibus notis. Hallucinãtur quoq;, & nõ leuiter, qui Lathyrũ noſtrum, Piſa eſſe exiſtimãt, argumentum ex eo, quod anguloſus eius ſit fructus ſumentes: nam quamuis granum angulos habeat, ſiliqua nullo modo eſt cylindracea, ſed planè lata, quæ cum inſignis nota ſit, nullo modo prætermittenda erat.

Ex collatione quoq; eorundem ſcriptorum, à ueteribus relictorum, apertum eſt, reliqua genera quæ ex Piſorum genere, poſterior ætas habuit (cũ granum ipſorum abſolutiſſimè rotundum ſit, & planè globoſam formam Habeat) Piſa non eſſe, quantumcunq; folio, & caulibus ſint ſimiles, ſed omnino ad aliud genus leguminis referenda eſſe, ut mox faciemus.

HISTORIA FRVGVM.

VIRES ET FACVLTATES.

EX HIPPOCRATE.

PIſa minus inflant F. bis, per aluum autem magis ſecedunt.

EX GALENO DE ALIM. FACVL.

PIſa tota ſubſtantia cum Fabis quandam habẽt ſimilitudinem, eodemq; cum Fabis modo ſumũtur. His duabus tamen rebus ab eis diſcrepãt, tum quod non æque, ac Fabæ ſunt flatulenta, tum etiam quod detergendi facultatem non habent: ideoq; ſegnius quam illæ per aluum ſecedunt.

ὠχρος

ὠχρὸς. Eruilia.

Pisum aduersum 1.5

HISTORIA FRVGVM.

DE OCHRO SIVE ERVILIA.

Cap. XX.

FORMA.

Chros Iiſo caule foliȷs & ſiliqua ſimilis eſt omnibus tamẽ minoribus: multifolius quoq; amplus, ac uagus: humi ſparſus niſi pedamentis quibuſdam fulciatur. Fructũ, fert non anguloſum, ſed abſolutiſſimæ rotundȷtatis Piſis minorem, colore ut plurimũ flauũ, aut luteum, nonnunquam etiam uireſcentem.

NOMINA.

HOc legumen Germani Erweyſen, Brabanti Erwten, Galli du Pois, Medicorũ & officinarũ uulgus Piſum nominãt, Græci ὄχρον Latini Eruiliam. Et eſſe quidẽ uulgare iſtud legumẽ quod Piſorum nomine circũfertur, uerũ Græcorũ Ochrum ex eo manifeſtum eſſe debet, quod Ochrũ Hippocrates, Theophraſtus, Diocles, Galenus Piſo ſimilem faciant, & ab eius natura non multum differre tradant: cum quo Piſa iſta uulgaria per omnia, excepto uno grano, conueniunt, & tanta ſimilitudine iunguntur, ut recentiores ea à Piſis non potuerint diſcernere, aut diſtinguere. Quod ſi uero & non temerè, ſed à colore luteo aut pallido ὄχρος (ut uidetur) dictus eſt, non uideo quo modo negari poterit uulgare rotundum Piſum Ochrũ

eſſe

esse: luteo enim aut pallido maximè colore pellucet. Citra omnem igitur dubitationem uulgare Pisum rotundi grani pro Græcorum Ochro habendum est. Quod uero & idem Latinorum Eruilia sit, ostendit in primis Plinius, Eruiliam folio Piso similem scribens, & utriq; longum folium (Libro decimo octauo capite septimo) tribuens, cum quo ut diximus Ochros cõuenit. Huc etiam accedit doctissimorum Hippocratis & Galeni interpretum nostræ ætatis testimonium, qui pro ὠχρῶ Latinè Eruiliam reddunt. In errore igitur uersentur consequens est, qui Eruiliam eãdem cum Dolicho esse existimant ὦχρος enim & δολίχος diuersa sunt: Cum & eos qui pro Ochro Latinè Ciceră uertũt. Ticera siquidem eiusdem generis cum Cicercula est, ut mox dicemus, & aliud longè ab Eruilia.

VIRES ET FACVLTATES. EX GAL. DE ALIM. FACVL.

OChros medium quodammodo locum obtinet inter ea, quæ succum bonum & praum generant: inter concoctu facilia, & difficilia, tarde & celeriter transeuntia flatulenta & flatus expertia: parum & multum nutrientia. Nullã enim effectricẽ habet qualitatem, instar quorundam quæ, acres, aut austeros, aut acerbos, aut salsos, aut amaros, aut dulces habent sapores.

λαθυρος

λαθύρος. Cicercula.

DE LATHYRO Cap. XXI.

FORMA.

Athyrus caule est tenello, humi nisi affixis pedamentis suffulciatur procumbente: folia fert longa & angusta, gemina ex uno geniculo simul prodeuntia: florem candidum: fructum in latis siliquis latum, albescentem, Lupino satiuo fere æquale, sed angulosum in mandendo neutiquam amarum aut insuauem, sed Ochrum sapore omnino referentem.

NOMINA.

PEregrinum hoc legumen Germanis, Brabantis, & Gallis est: ideoq; aliud à Græco aut Latino nomen non habet. Nominant autem id ipsum Græci λαθύρους Latini Cicerculam, à figura nempè fructus qui Ciceris fere modo angulosus est. Et uerum quidem esse Lathyrum inde manifestum fit, quod inter legumina quæ ædendo sunt istud solũ, excepto Phaselo, formã habeat Phaseolo quodammodo assimilem: latã uidelicet & ad longũ nonnihil accedẽtem, qualẽ Lathyrũ habere ex eo colligi potest, quod Galenus dicit Dolichũ Lathyris longiorem habere formam. Nam nisi Lathyro huiusmodi quædam esset forma, Dolichos ijs neutiquam comparasset. Accedit ad hoc quod

quod istum legumen neq; Pisum est (siliquam enim non habet cylindraceam (neq; Ochros) lutei siquidē non est coloris) Qua de causa cum ex tribus (Piso scilicet Ochro, & Lathyro) quæ inter se substātiæ ratione quodammodo cognata sunt, solus superfit Lathyrus, reliquum est ut istud legumen uerus sit Lathyrus: Piso enim & Ochris & sapore & qualitate assimilis est. Idem uera & Cicerculam eam esse cuius ueteres agriculturæ scriptores memenerunt, unus pro multis satis indicat Columella Cicerculam Piso similem scribens, hoc est angulosam & inæqualem, quale utiq; Pisum est: ut iam antè diximus. Nullum enim inuenitur legumen hoc forma Piso similius, cui cicerculæ nomen conuenire posse uidetur, excepto solo araco, qui cicerculæ quoque non est dissimilis, ut mox ostendemus. Non carent igitur errore qui hoc legumen ὄροβον, id est Eruum, nuncupant, nam formam non habet rotundam quam Eruo deberi paulo pòst docebimus: & præter hoc nullam insuauitatem in mandendo, obtinet, nam Ochrum sapore refert: cum tamen Galeno teste, Orobum insuauissimum sit, eam ob causam in usu hominum damnatum. & pecudum tantum pabulo cedens, qui & hoc dulcorato, & in aqua macerato pascuntur.

VIRES

VIRES ET FACVLTATES. EX GAL. DE ALIMEN.

Lathyrus ſubſtantia quidem Ochris, & Phaſe lis eſt aßimilis. Vtuntur autem his plurimum in Aſia ruſtici, & potißimũ in Myſia, & Phry gia. In Alexandria autem & alijs pleriſq; urbibus, non modo Ochris & Phaſelis utuntur, ſed etiam ut Pharotißanam ipſam parant. Succum autẽ habent Phaſelis & Ochris facultatibus quidem conſimilem, ſed ſubſtantia craßiorem: obq; eam ipſam cam ſam plus aliquanto quam illa nutriunt.

HISTORIA FRVGVM.

ἄρακος. Cicera.

DE ARACO SIVE CICERA Cap. XXII.

FORMA.

ASsimilis & congener multis modis Aracus, per κ ultima syllaba notatus, Lathyro est, nihil ab illo sapore dissidens, tantum durior & colore obsoletior: ut & nonnulli olim fuerint Galeno teste qui putarunt ipsum non esse generis à Lathyro diuersi. Caule enim & folijs Lathyro siue Cicerculæ simĩlis est: siliquas habet paulo minores & crassiores, atq; in his grana angulosa, sed minora duriora, & colore obsoleto & nigro proxima, sapore cicerculæ.

NOMINA:

HOc legumen Galenus in libris de alimentorum facultatibus ἄρακον Græcis appellarĩ scribit, & posteriorẽ nominis syllabam per κ in Aristophanis Holcadibus notatam inueniri, nõ autem per χ ad differẽtiam uidelicet alterius Arachi qui cerealibus frugibus innascitur: Latini Ciceram nominant, nimirum quod Cicerculæ sapore & qualitate, tum & caule folijsq;, atq; ipso etiam semine sit similis, soloq; colore ab eo dissideat. Quod quidem à ueteribus illis agriculturæ scriptoribus etiam animaduersum est, de Cicera enim hunc in modum Columella scribit:

Sapore certe nihil à Cicercula differt, colore tantum discernitur, nam est absoletior & nigro propior. Palladius autem in Martio sic: Nunc Cicera scritur quæ distat à cicercula solo colore quo sordet & nigrior est. Ex quibus apparet Cicerculam & Ciceram eiusdem planè generis esse, ueluti etiam Lathyrum, & Aracum à non nullis habitos Galenus ait. Qua de causa etiam minus fideliter à Gaza in Theophrasto pro Ochro Cicera redditum est. Ochros enim idem est quod Eruilia, & forma siue figura à Cicera multum dissidet.

VIRES ET FACVLTATES.

EX GALENO DE ALIM. FACVL.

VSVS omnis araci & facultas, Lathyri facultate est assimilis, nisi quod Araci sint duriores, minusq; facilè elixantur: quæ causa etiã est cur Cicerculis concoctu sint difficiliores.

DE EREBINTHIS SIVE CICERIBVS

Cap. XXIII.

GENERA.

CIcerũ genera complura sunt, colore, magnitudine, & figura differètia, sed summa quidem Dioscoridi tria: Satiuum: Arietinum, candidum nigrumq;: & Syluestre Cicer: quibus quartum accedit minuti grani, quod Cicerculam Plinius nuncupat.

Satiuum

Satiuum. Cicer.

Arietinum Cicer.

FORMA.

1 SAtiuum Cicer caulem fert tenuem, Latiusculũ, atq; ex hoc orta folia oblonga, in capreolos desinentia, quæ ad inferiorem partem caulis simplicia proueniunt, ad superiorem uero in duo, triaue foliola parua, sese diuidunt, Lathyri folijs nonadmodum dissimilia, uerum minora: flores habet candidos: siliquas quam Ochri minores, atq; in his grana candida, rotunda Arietino Cicere minora, Ochris similia, sapore non usque adeo ingrato.

2 Cicer Arietinum, tam candidum quam nigrum, caule est lignoso: folijs uno pediculo, lentis modo enatis, multis, paruis, in ambitu serratis: flores habet albos, aut purpureos: siliquas paruas, rotundas: grana angulosa, acuto angulo prædita, arietino capiti similia, colore nigra aut alba.

Cicer. Syluestre.



Cicercula. Plinij.

FORMA.

SYlueſtre Cicer, caule ſatiuo, folijs Lathyro ſimile eſt: flores adfert purpureos: ſiliquas paruas: grana rotũda nigra: radices habet magnas craſſas & implicatas. Naſcitur in ſylueſtribus. 3

Quartum genus folia habet lentis, caule arietini, flores paruos, pallentes: ſiliquas paruas, teretes, atq; in his grana ut plurimum quaterna, anguloſa, Arietino ciceri propemodum ſimilia uerũ minora, eſui apta. 4

NOMINA.

PRimum Cicerum genus ἐρέβινθος ὀροβιᾶτις à Theophraſto, & reliquis Græcis dicitur, hoc eſt Cicer orobiæum, aut eruillum, ab Erui nimirum ſimilitudine & rotunda ſeminis forma, quæ Eruo cum hoc Cicere communis eſt: Plinio columbinum & uenereum: Dioſcoridi ἐρέβινθος ἥμερος, id eſt ſatiuum Cicer nominatur: officinis & uulgo incognitum. Neq; hoc legumen Eruum eſt, ut nonnullis ſuſpicaturos non dubito, nam nullam in mandendo inſuauitatem obtinet, ſed eſui quoq; aptum & Ochris ſapore quadantenus ſimile. 1

Secundum genus Græci ἐρέβινθον κριον: Latini Cicer Arietinum nominant: Officinæ Ciceres: 2

germa-

Germani Zijſern: Galli Pois Cices: Brabanti appellationem officinarum ſequuntur.

3 Tertium genus ἐρέβινθος ἄγριος, ſiue ſylueſtre Cicer nuncupatur. Et eſſe quidem hoc, ſylueſtre Cicer, & non aliud legumen, ut nonnulli erre ducti exiſtimant, inde manifeſtum eſt: quod nulli alteri legumini, quam ſoli Ciceri ſatiuo ſimile ſit, cuius eſt inuenire apud ueteres ſylueſtre genus. Licet igitur Lathyro caule foliiſq; ſit ſimile, non erit tamen ſylueſtris Lathyrus, ſed potius ſylueſtre Cicer: nam & ſatiuo Ciceri non eſt diſsimile, ſi ad folia, quæ in ſummo caulis ſunt comparetur. Confirmat autem non mediocriter hanc opinionem quod folia eius confricata grauem odorem ſpirent: hoc enim ſylueſtri Ciceri eſt proprium ut apud Dioſcoridem uidere eſt.

4 Quartum genus, à Plinio peculiariter deſcribitur, uocaturq; Cicercula diminutiua nomine, nos ad differentiam alterius Cicercula, Cicerculam Plinij nominauimus. Alia autem planè eſt ab ea Cicercula, quæ Lathyrus Græcis dicitur, quod ipſe Plinius manifeſtè indicare uoluit, hunc in modum ſcribens: Eſt & Cicercula minuti Ciceris etcæ, nam fruſtra eam quantitatis differentiam uideretur adieciſſe, niſi aliã nouiſſet Cicerculam, quæ hac maior eſſet, & Ciceri ferè æqualis, quæ

a ſimi-

à similitudine quadam Ciceris cicercula dicta uidetur, de qua supra actum est.

VIRES ET FACVLTATES.

EX HIPPOCRATE.

Cicer album per aluum secedit, & per urinam eijcitur, & alit. Et alit quidem, carnosum in ipso. Per urinam uero eijcitur, dulce. Per aluum autem secedit, salsuginosum.

EX GALENO DE ALIMENTORVM FACVL.

Cicer edulium est nõ minus quam Faba flatulẽtum, sed ualentius nutrit quam illa. Ad uenerem autem incitat, creditumq; est semen quoq; generare: unde quidam equis admissarijs ipsum exhibent. Inest præterea Ciceribus facultas abstergendi maior, quam Fabis: adeo ut quidam ex ipsis calculos in renibus constantes manifeste comminuant, nigra autem sunt ea, atq; exigua, arietinaq; ipsa nũcupant. Satius autem est succum ipsorum in aqua coctum bibere.

EX GAL. DE FACVL. SIMPL.

Cicer, legumen est flatuosum, copiosi nutrimẽti, aluo mouendæ habile, ciendæ urinæ idoneum, lacti & semini generando aptum: prolicit & menses.

menſes.

Porro quod uocatur crion, hoc eſt arietinum, ceteris efficacius urinam prouocat. Decoctum eius calculos renum confringit.

Reliquum autẽ Cicerum genus, Orobiæum uocatũ, eadem ui pollet: puta attrahẽdi, digerendi, incidẽdi, extergendi. Sunt enim calidi, et modice ſicci: participes item ſunt amaritudinis, cuius ui & Lienem, & iecur, & renes expurgant: Pſoraſq; & Lepras, & Lichenes extergunt: tum abſceſſus poſt aures prouenientes, & teſtes induratos diſcutiunt: tum etiã ulcera, quæ cacoëthe uocant, cũ melle ſanant.

Erebinthus agreſtis ad omnia efficacior domeſtica eſt, hoc eſt tum calidior, tum ſiccior: quanto & actior & amarior.

EX DIOSCORIDE.

CIcer ſatiuum aluo idoneum eſt: urinam ciet: inflammationem parit: Colorem commendat: menſes ac partus expellit: lac auget, cum Eruo decoctum illinitur ad inflammationes teſtium, uerrucoſas informicationes, ad ſcabiem, ulcera capitis manantia, impetigineſq;: contra carcinomata, & ulcera, quæ Cacoëthe uocantur, cum melle, & hordeo prodeſt.

Aretinum utrunq; cit urinas, dato cum rore marino, hydropicis, aut regio morbo laborantibus, eorum

rum decocto. Ledunt ea exulceratam uesicam & renes. In uerrucarum formicantium pẽsiliumq; genere, prima luna singulis granis singulas tangunt, eaq; grana Linteolo deligata abijci post se præcipiunt: ita decidere eas arbitrantur.

Sylueſtre Cicer, idem quod ſatiuum præſtat.

DE LVPINIS. Cap. XXIIII.

GENERA.

LVpinorum, ſatiuus unus, ſylueſtres alij: quorum duplex eſt genus, quodam enim luteos flores fert, aliud ceruleos, quod minimum eſt.

Lupinus

Lupinus. Satiuus.

HISTORIA FRVGVM.

Lupini. ſyluestres.

FORMA.

1 *Lupinus ſatiuus caule unico, recto, firmo, qui nullo pedamento eget naſcitur, atq; circa hũc promit folia quinq; fariam, aut ſeptifariã ceu uiticis diuiſa, ſuperna parte uirida, inferna candidiora: flores in ſummo cãdidos: ſiliquas quales Phaſelus, ſed minores & interiori parte non laneas, atque in his candidos latos rotundos, & guſtu amariſſimos fructus.*

2 *Luteus ex ſylueſtriũ genere, caule foliiſq;, uerum minoribus, ſatiuo ſimilis: flores habet Luteos ſuauiter olentes uiolæ luteæ æmulos: ſiliquas paruas, & in his fructum narij & ſordidi coloris, ſatiuis minorem, ſed amaritudine non inferiorem.*

3 *Ceruleus caule foliiſq; omnium minimus: floret ceruleo flore: fructus eius luteo ſimilis, uerum etiam minor.*

NOMEN.

PRimum Lupinorum genus θέρμος ἥμερος Græcis, Latinis Lupinus Satiuus dicitur, officinis Lupinus, Germanis Feigbonen, Gallis Lupin, Brabantis Lupinen.

Alia genera θέρμοι ἀγρίοι Græcis, Latinis ſylueſtres nominantur, officinis incogniti.

HISTORIA FRVGVM.

VIRES ET FACVLTATES. EX HIPPOCRATE.

LVpini natura robusti sunt & calidi, uerum per præparationem leuiores & frigidiores fiunt, & aluo secedunt.

EX GAL. DE ALIM.

LVpini semen πολύχρηστον, id est, frequentis usus est. Elixus enim, deinde in aqua dulci maceratus tantisper donec in ea omnem sibi ingenitam exuerit insuauitatem, ita demum manditur cum garo, ac oxygaro, uel etiam sine his sale mediocri conditus. Lupini dura ac terrestris est substantia: quocirca ipse concoctu sit difficilis, succumq; crassum gignat est necesse: ex quo non probe in uenis confecto crudus proprie appellatus succus aceruatur. Cæterum cum inter parandum quicquid habuit amaritudinis, deponat τοῖς ἀποίοις id est, qualitatis quæ sensu deprehendatur expertibus, similis euadit. Par igitur est ipsum neq; ad dejectionem, neque ut adstringentia, ad fluentis uentris cohibitionem esse accommodum, sed tarde descendere, & difficulter deijci ac pertransire.

EX

EX GAL. DE SIMPLICIBVS.

LVpinus edi potest coctus multus antè diebus per macerationem amaritudine in aqua depo-sita, sitq; tunc nutrimentum succi crassi: cæterum ut medicamentum ita præparatus ex genere est emplasticorum. At ubi natiua etiam dum manet amaritas, extergendi digerendiq; uim obtinet: interficit lumbricos, tum illitus, tum addito melle linctus, tum ex posca epotus. Quin & decoctum eius Lumbricos eijcere potest: tum etiam foris idē tidem perfusum uitiligines, achoras, pustulas (exanthemata Græci uocant) Psoras, Gangrenas, ulcera maligna, quæ cacoëthe uocant iuuat: partim extergēdo, partim citra mordacitatē digerendo sicčadoq;. Expurgat iecur & lienem cum ruta & pipere suauitatis gratia assumptū. Elicit menses ac fœtum cū myrrha & melle impositū. Porro lupinorū farina sine mordicatione digerit: nec enim liuida tantum, sed & Choëradas, & Phymata curat: sed tunc in aceto aut Oxymelite, aut Posca coquatur oportet, idque pro laborantium temperamento, & affectus diuersitate, quod ex usu est eligendo. Digerit item quæ liuida sunt: & quæcunque modo diximus præstare posse decoctum, eadem omnia efficit & farina.

Sunt uero etiam qui eam iſchiadicis cataplaſmatis modo illinunt.

Lupinus agreſtis amarior eſt, & ad omnia ualentior domeſtico, eiuſdem genere cum ipſo faculatis,

EX DIOSCORIDE.

SAtiui lupini farina cum melle, delinctu, aut potu, uentris animalia expellit: ipſi quoq; macerati, & cum ſua amaritudine eſitati, eadem efficiunt. Decoctum eorum idem munus præſtat, cum ruta & pipere potum: quare lienoſis prodeſt: eodē ulcera tetra, quæ Theriomata uocant, gangrænas, incipientem ſcabiem, eruptiones puſtularum, ulcera in capite manantia, uitiligines, maculaſq; fouere utiliſſimum: menſes & partus extrahit cū myrrha & melle ſubditum in uellere. Eorum farina cutem liuoreſq; corrigit: inflammationes cum polenta & aqua mitigat: tubercula, & coxendicū cruciatus ex aceto lenit: ſtrumas in aceto cocta illitaq; diſſipat: carbunculos rumpit. Decocti cœleſti aqua donec in cremorem lenteſcant, faciem abſtergunt: medentur pecorum ſcabiei, cum radice nigri Chameleontis, ita ut tepente decocto abluantur. Cit urinam radix cum aqua cocta. Lupini triti, ubi maceratu dulceſcere ceperint, cū aceto poti faſtidium

fastidium detrahunt, & cibi auiditatem faciunt. Syluestres eadem quæ satiui possunt.

EX PLINIO.

Lib. XXII.

LVpini discolorem hominem frequentiores in cibo exhilarant. Amari contra aspidas ualent: ulcera atra, aridi decorticatiq; triti, suppositio linteolo, ad uiuum corpus rediguntur: strumas, parotidas in aceto cocti discutiunt. Succus decoctorum cum ruta & pipere, uel in febri, datur ad uentris animalia pellenda, minoribus triginta annorum. Pueris uero impositi in uentrem ieiunis prosunt: & alio genere tosti, et in defruto cocti, uel ex mel le sumpti. Iidem auiditatem cibi faciunt, fastidium detrahunt. Farina eorum aceto subacta, papulas pruritusq; in balneis illita cohibet, & per se siccat ulcera: liuores emendat: inflammationes cum pollenta sedat.

Syluestrium efficacior uis est contra coxendicum, & lumborum debilitatem: ex ijsdem decocta lentigines & fomentum cutem corrigunt: Si uero ad mellis crassitudinem decoquantur satiui, uitiligines nigras & lepras emendant. Satiui quoque rumpunt carbunculos impositi, panos & strumas minuunt, aut maturant, cocti ex aceto, cicatricibus

candidum colorem reddunt. Si uero cœlesti aquâ decoquantur, succus ille smegma fit, quo solent fouere gangrenas, ad eruptiones pituitæ, ulcera manantia, utilissimum. Expedit ad lienem bibere, & cum melle menstruis berentibus. Lieni, crudi cum fico sicca triti ex aceto imponuntur. Radix quoq; in aqua decocta urinas pellit. Medentur pecori cũ Chameleonte herba decocti, aqua in potum collata. Sanant & scabiẽ quadrupedum omniũ in amurca decocti, uel utroq; liquore postea mixto. Fumus crematorum culices necat.

DE ERVO. Cap. XXV.

GENERA.

ERui duo genera: alij enim albi, alij pallidi aut ad flauum accedentes.

FORMA.

ERum paruus frutex est: tenui caule in latus ut Ciceris tendente: angusto folio: semina in ualuulis siue siliquis cylindraceis habens: colore alba aut pallida luteoue proxima: gustu insuauissima ut Galenus testatur: figura absolutissimæ rotunditatis, ut ex Plinio ubi de Cicere agitur demonstrari potest. Cicer enim ait esse dulcissimum quod Eruo simillimum est. hoc ipsum autẽ de quo

agit

agit est columbinum dictum candidum & rotundum, quod & orobiæum ab Orobi similitudine nominatur. Vnde constat Erui rotundam & spheri-cam esse figuram.

NOMINA.

Quod Eruum latini, Græci ὀροβον nominant: non Officinis modo, uerum omnibus hac ætate incognitum. Neq; enim Lathyrus aut Cicer satiuum Eruum est, ut iam ante docuimus. Neque item uicia, ut officinæ putant: Semen enim hoc latum est & ab Erui forma, & similitudine multum recedens.

VIRES ET FACVLTATES.

EX HIPPOCRATE.

ERuum aluum sistit, & robustum est, & crassc facit, & explet, & boni coloris hominem facit.

EX GALENO DE ALIM. FA.

BOues tum in Asia, tum apud alias pleraſq; gẽtes, Eruum prius in aqua dulcoratum pascuntur: homines uero ab hoc semine prorsus abstinẽt. Est enim insuauissimũ & praui succi. In magna tamen fame, quemadmodũ Hippocrates quoq;

neceßitate cocti, ad ipſum nonnunquam accedunt. Nos uero ad eundem modum quoquo lupinos præparantes, Orobis cum melle utimur, ceu medicamentis craſſos thoracis ac pulmonis humores ex purgantibus. Porro inter Orobos albi minus ſunt medicamentoſi ijs, qui ad flauitiem aut pallorem recedunt. Qui uero cocti bis fuerint & in aqua identidem dulcorati, inſuauitatem quidem deponunt, ſed una etiam cum ea abſtergendi, & incidendi facultatem: ut ſola in eo relinquatur terreſtris ſubſtantia. Quæ ſubſtantia alimentum ſit, quod citra inſignem amarorem deſiccandi uim habet.

EX GAL. DE SIMPLICIBVS.

ORobus deſiccat quidem exceſſu ſecundo in tenſo, calfacit uero primo. Porro quatenus amaritatis eſt particeps, catenus incidit, extergit, & obſtructiones expedit. Ceterũ ſi ſumatur copioſe, ſanguinem per urinas euocat.

EX DIOSCORIDE.

ERuum capiti oneroſum eſt: aluum eſu turbat: ſanguinem per urinam extrahit: elixo boues ſaginãtur. Farina aluo utilis eſt: urinam ciet: meliorem colorem efficit: ſanguinem per ueſicam aut aluum cum torminibus elicit, ſi largius in cibo

aut

aut potu assumatur: ulcera cum melle purgat: lentigines & uitia cutis in facie, & maculas totumq; corpus emendat: nomasq;, gangrænas, duritiasq;, serpere non patitur: mammarum duritias emollit: atra ulcera, quæ Theriomata uocant, fanosq; emarginat: carbunculos rumpit: cum uino subacta illitu morsibus uiperarum, canum, hominumq; medetur: urinæ difficultates tenesmosq; ex aceto mitigat. Eruum tabidis, qui alimentum non sentiunt tostum & ad nucis magnitudinem melle exceptum, sumptumq; conuenit. Eius cremor perniones, & pruritus in toto corpore sanat, fouendo.

EX PLINIO. Lib. XXII.

ERuum contra serpentium ictus ex aceto, ad crocodilorum hominumq; morsum. Si quis Eruum quotidie ieiunus edat lienem eius absumi certissimi authores affirmant. Farina eius (ut ait Varro) maculas ex toto corpore emẽdat. Serpere ulcera non patitur: in mammis efficacissimum. Carbunculos rumpit ex uino: urinæ difficultates, inflationem uitia iecoris, Tenasmon, & quæ cibum non sentiant, Atropha appellata, tostum, & in nucis auellanæ magnitudinem melle collectum, deuoratumq; corrigit. Item impetigines, ex aceto colectum, & quarto die solutum. Panos in melle suppu

rare

rare prohibet impositum. Aqua decoctum pernio nes,& pruritus sanat fouendo. Quin & uniuerso corpori,si quis quotidie ieiunus biberit, meliorem fieri colorem existimant. Cibis idem hominis alienum: uomitiones mouet: aluum turbat: capiti & stomacho oneroſum: Genua quoq; degrauat, sed madefactum pluribus diebus mitescit: bubis iumentisq; utilißimum. Siliquæ eius uirides priusquã indurescant, cum suo caule foliisque contritæ capillos nigro colore inficiunt.

Βικιόμ.

Cirsion. Vicia.

DE VICIA Cap. XXVI.

FORMA.

Vicia caules habet tenues cubitales, quadrangulos: folia angusta, uno pediculo multa lente maiora & crassiora: flores ut Phaseli nigriores: siliquas paruas in quibus sena pluraue grana nigricantia non rotunda sed lentis modo quodammodo latiuscula proueniunt. Seritur quacunq; terra, facillimo cultu.

NOMINA.

NOta omnibus iumentorũ pabulo uitia est, Græci Βικιον nominant, Germani wickẽ, Brabanti Vitsen, Galli De la uesce. Officinæ non sine errore grauissimo, Eruum aut Orobõ nuncupant, ut ex præcedenti capite de Eruo manifestum fieri potest. Vicia autẽ ut Varroni placet à uinciendo dicta est, quod item capreolos habet ut uitis, quibus sursum uersus serpit ad scapũ lupini, aliumue calamum, ad quem ut hereat eum solet uincire.

VIRES ET FACVLTATES.

EX GALENO DE ALIMEN.

VIciam cum ipsis siliquis atq; integra planta rustici reponunt ut Brutis pecudibus sit pabulo. Per famem tamen quosdam noui qui

hanc

hanc quoq; comederint, potißimum uere, cum etiã num uiret: quemadmodum Fabas & Cicera eſitare conſueuerunt. Eſt autem nõ inſuauis modo, ſed concoctu etiam difficilis, aluumq; inhibet. Perſpicuum ergo eſt quod cum naturà ſit huiuſmodi, alimentum, quod ex ipſa diſtribuitur, habeat haudquaquam boni ſucci, ſed craſſum atq; ad ſuccum Melancholicum gignendum, idoneum.

Arachus

Arachus.

DE ARACHO *Cap.* XXXVII.

FORMA.

ARachus *caule, foliis, flore, siliqua ui-ciæ similis, sed minor & tenerior: se-men habet non latum, sed rotundum, nigrum, durum, Eruoq;, ut inquit Ga-lenus, minus. In fructibus cerealibus prouenit.*

NOMINA.

HOc *siue legumen, siue cerealium frugum ui-tium, Galenus ait, Arachum nominari: scri-biq; ultimam nominis syllabam per* χ, *ad dif-ferentiam alterius Araci per* κ *notati. Brabanti Crock uocant. Sunt qui Aphacem putant: sed te-merè, & falso. Semen enim eius non est latum, qua-le Aphaces esse, præter Dioscoridem, euidentissi-mus testis Galenus est, libro de alimentis primo.*

VIRES ET FACVLTATES.

HVius *seminis nullus est usus, nisi quod plan-ta eius integra pabuli quoq; loco cedat. Seli-gunt autem id rustici, ut Galenus ait, uti Securidacæ semen & abijciunt.*

Aphe-

Aphace.

DE APHACE Cap. XXVIII.

FORMA.

APhace caule foliisq; Aracho similis, quā uis tenerior: lente altior, & maior: flores habet purpurascentes in longis pediculis multos, spicæ modo congestos: ab his proueniūt siliquæ latæ lente maiores, in quibus terna quaternaue semina lata lente minora, continentur. Prouenit in aruis & riguis.

NOMEN.

Ἄφακη latinis Græcum nomen retinet, Officinis incognita, nonnullis os mundi dicitur. Est porro & alia Aphace apud Theophrastum, quæ ex syluestriū Olerum genere est: de qua in præsentia non agimus.

VIRES ET FACVLTATES.

APhace inter alimenta, eandem obtinet facultatem, quam uicia: ut in libro Galeni de alimentorum facultatibus uidere est: proinde quæ de Vicia ex Galeno supra scripta sunt, huc transferri possunt, & de Aphace intelligi.

EX GALENO DE SIMPLICIBVS.

APhace uim habet astringendi, sicuti & ipsa Lẽticula (Φακον Græci uocãt) Sed & similiter ut Lenticulæ edi solet: cæterum ægrius quã ille concoquitur: ualentius autem desiccat & moderati caloris est.

EX DIOSCORIDE.

APhaces semina astringendi uim habent: quæ re torrefacta stomachi aluiq; fluxiones sistunt, si fresa Lentis modo decoquantur.

EX PLINIO.
Lib. XXVII.

NAtura Aphacæ ad spissandum efficacior quam Lenti: reliquo usu eosdem habet effectus. Stomachi aluiq; fluxiones sistit semen decoctum.

Φακὸς

Φακὸς. Lens.

DE LENTE Cap, XXIX.

FORMA.

Lens tenuibus exit cauliculis : foliis anguſtis, uno pediculo adnaſcentibus multis Aracho aut uiciæ ſimilibus, ſed longe minoribus, & tenuioribus: flores fert exiguos: ſiliquas paruas latiuſculas in quibus lata proueniunt ſemina. Amat ſolum tenue & cœlum ſiccum.

Naſcitur & ſuæ Indiæ Lens Fænogreco ſimilis: differt hæc à noſtrate omnino, ſed illatam cibo diſcerni poſſe negant ab ignaris.

Eſt & Aegyptiæ Lentis genus rotundius & nigrius. Vtraq; nobis incognita eſt.

NOMEN.

LEns Græcis Φακὸς ἢ Φακή, Latinis etiam Lenticula appellatur. In officinis Latinum nomen retinet: Germani Linſen, Galli lentille nominant.

VIRES ET FACVLTATES.

EX HIPPOCRATE.

LEntes æſtuoſæ ſunt & turbatiuæ, & neq; per aluum ſecedunt, neq; ipſam ſiſtunt.

EX GALENO DE ALIMEN.

NEmo ex Lentibus panem facit: aridæ enim ſunt, ac friabiles, corticemq; habent aſtringentem

gentem, & quæ ipſorum eſt neluti caro, craſſi eſt ſucci, ac terrei, auſteram qualitatem habens exiguam cuius cortex multæ eſt particeps. Succus, porro in ipſis eſt aſtringenti contrarius. Quocirca, ſi quis in aqua ipſas coxerit, & deinde aquã ſale aut garo, aut cum ipſis oleo condiens ſumpſerit, potus is aluum deijcit. At ex biſcoctis Lentibus Lens apparata, facultatem habet ſucco cõtrariam: ut quæ uentris fluxus ſiccet, ſtomachum inteſtina & totum deniq; uentrem corroboret. Quam ob rẽ cœliacis, & dyſentericis, cibus eſt accommodus. Lens uero decorticata, ut illam aſtringendi uehementiam, & ea quæ ipſam conſequuntur, amittit, ita magis nutrit, quã quæ cortice ſpoliata non eſt, ſuccum craßum praumq; gignit, tardeq; commeat, non tamen alui fluxus deſiccat, uti ea cui cortex non eſt ademptus. Iure igitur, qui largius hoc ædulio utuntur, elephanciaſim & cancros incurrunt. Siquidem craſſa ſiccaq; cibaria ſucco melancholico generando ſunt idonea. Quare ijs duntaxat, quibus aquea in carnibus eſt κακχεξία Lens in cibo utiliter præbetur: ceu aridis & ſqualentibus, admodum damnoſè. Eandem ob cauſam uiſum integrum & inculpatum hebetat, ipſum immoderate exiccans: ei uero qui contrario modo ſe habet, confert. Menſtruis autem purgationibus non eſt ac-

commoda: crassum enim & tardifluum sanguinem reddit. At muliebri nuncupato profluuio est utilissima.

EX SIMPL.

LEntes ualenter astringunt, medium tenent caliditatis & frigiditatis, desiccant tamen in secundo ordine: ipsum itaq; earum corpus desiccat & sistit uẽtrem: cæterum decoctum prouocat: proinde etiam prior aqua abijcitur ubi retentionis causa adhibentur.

EX DIOSCORIDE.

LEns frequenti cibo aciem oculorum obtundit: ægre concoquitur: stomachũ male habet eumque & intestina inflat, sed aluum cum cortice cocta sistit. Præstat in cibo quæ facillimè coquitur, nihil atri in maceratione reddens. Vim habet astringendi, qua ex causa alui cohibet, si detracto antea cortice discoquatur accurate, primaq; aqua inter coquẽdum effundatur: (quippe primum id decoctum uentrem resoluit) somnia tumultuosa excitat: capiti, neruis ac pulmoni inutilis. Melius suo fungetur munere contra alui fluxiones, addito cũ aceto intybo, aut portulaca, aut beta nigra, aut bacis myrti, aut putamine punici, aut aridis rosis, aut mespilis, aut sorbis, aut pyris Thebanis, aut malis cotoneis, aut cichorio, aut plantagine, aut gallis in

tegris,

tegris,quæ post decoctionem abijciuntur, uel uua rum rhois quæ obsonijs insparguntur:uerum acetum cum eo diligenter percoqui debet,alias aluum conturbat.Contra subuersionem stomachi, trigin ta grana Lentis delibrata deuorari proderit: deco cta cum polenta,& illita podagras lenit : sinus cũ melle glutinat:crustas rumpit:ulcera purgat: deco cta in aceto duritias & strumas discutit:cum coto neo aut meliloto medetur inflammationibus oculo rum,sediscq; addito rosaceo: sed in amplo sinu, aut inflammationibus sedis , quæ maius remedium exi gunt,cum putamine punici , ac siccis rosis adiecto melle decoquitur:nomis quæ in gangrænam euaserunt,adiecta maris aqua:pustulis,& his quæ serpunt:igni sacro, pernionibusq;, ut antea dictũ est: contra mammas in quibus lac in grumos coijt , & præ nimia sui copia profunditur,cocta in aqua maris,& illita auxiliatur.

EX PLINIO. Lib. XXII.

LEns aciẽ oculorum obtundit & stomachum,inflat,sed aluũ sistit in cibo magisq; discocta cœlesti aqua:eadẽ soluit minus percocta.Crustulas ulcerũ rũpit,eaq; quæ intra os sunt,purgat & astringit:collectiones omnes imposita sedat, maximeq; exulceratas & rimosas: Oculorũ aũt epipho

ras cum

cum meliloto aut cotoneo: Contra ſuppurantia cũ polenta imponitur. Decoctæ ſuccus ad oris exulcerationes & genitalium adhibetur: ad ſedem cum roſaceo aut cotoneo: in ijs quæ acrius remedium exigunt cum putamine punici, melle modico adiecto. Ad id demum ne celeriter mareſcat: adijciunt & Betæ folia. Imponitur & ſtrumis, panisq; uel maturis uel mareſcentibus ex aceto diſcocta: Rimis ex aqua mulſa: & gangrænis cum punici tegmine: item podagricis, cum polenta, & uuluis, & renibus, pernionibus, ulceribus difficile cicatricem trahentibus. Propter diſſolutionem ſtomachi xxx Grana lentis deuorantur. In choleris quoq; & dyſenteria, efficacior eſt in tribus aquis cocta: in quo uſu melius ſemper eam torrere, aut tundere, ut quã tenuiſſima detur, uel per ſe uel cum cotoneo malo, aut pyris aut myrto, aut intubo erratico, aut beta nigra, aut plantagine. Pulmoni eſt inutilis, & capitis dolori, neruoſiſq; omnibus, & felli, nec ſomno facilis: ad puſtulas utilis igniq; ſacro, & mammis in aqua marina decocta: in aceto autem duritias et ſtrumas diſcutit. Stomachi quidem cauſa, polentæ modo potionibus inſpergitur. Quæ ſunt ambuſta, aqua ſemicocta curat, poſtea trita, & per cribrum effuſo furfure, mox procedente curatione addito melle. Ex poſca coquitur ad guttura.

ἀσύκερον. Securidaca.

HISTORIA FRVGVM.

DE SECVRIDACA Cap. XXXX.

FORMA.

SEcuridaca fruticosa est herba: foliis lentis, rotundioribus, arietino Ciceri similibus, sed in ambitu non serratis: floribus candidis: semen fert in siliquis corniculorum modo incuruis, rufum quadrangulum, & ancipiti securi quadantenus simile, amarum & subacerbum. Innascitur lenti & eam uitiat ut Gallenus ait: aut in segetibus, & Hordeis ut Dioscorides. Apud nos rara est, & sponte sua nõ prouenit.

NOMEN.

QVod Græci ἰδ'ύσαρον, Latini Securidacã aut Securinum nominant, unguentarij pelecinum: officinis incognitum.

VIRES ET FACVLTATES. EX GAL. DE SIMPLICIBVS.

SEcuridacæ semen gratum est stomacho, & uiscerum obstructiones expurgat: idem præstant totius fruticis germina.

EX DIOSCORIDE.

HEdysaron gustu amarum est, stomacho utile in potu: additur in antidota: cum melle ante coitus subditum, concipiendi spem adimit.

Ornithopodion.

HISTORIA FRVGVM.

DE ORNITHOPODIO. Cap. XXXI.

FORMA.

Ornithopodion fruticosa est herba, ampliter luxurians: caulículis tenuibus: foliis Securidacæ minoribus: floribus albicantibus, exiguis: siliquis quatuor quinisue iuxta inuicem, paruis, incuruis, minutarũ auium pedes emulantibus (unde nomen) in quibus parua rotunda semina Aracho minora. Nascitur in aruis, inter segetes, & in pratensibus.

NOMEN.

Destituti meliori nomine, Ornithopodion hãc plãtam uocauimus, & similitudinem & uulgi nomẽclaturam secuti: Brabanti enim Vogelvoet nuncupant. Sunt quibus placet Securidacæ esse speciem, foliorum nimirum cognatione deceptí. Alijs placet esse Poligalam: uerum nos aliam in primo commentariorum nostrorum de plantarũ historia dedimus, quam ueram esse Polygalam, non uanis persuasi rationibus existimamus.

VIRES.

Ornithopodij tota planta, cum siliquis gratissima boum pabulo est, seligiturq; eius gratia à rusticis. Ad medicinæ, & hominum usus inutilis.

Admissum per Petrum curtium pastorem dimi
Petri Louanienſis die 29 Iulij.
An. M. D. LII.

Remberti Dodo

NAEI MECHLINIENSIS Medici Epistolæ duæ.

VNA AD D. IOACHIMVM Rolandum de Farre, Chondro, Trago, Ptisana, Crimno & Alica.

ALTERA AD D. IOANNEM Vischamium de Zytho & Cereuisia.

Remberti Do-

DONAEI MECHLINIENSIVM MEDICI AD D. IOACHIMVM ROlants Mechlinienſium Medicum epiſtola de Farre, Chondro, Trago, Ptiſana, Crimno, & Alica.

VTinam ornatiſſime Rolande multi hoc tempore inuenirẽtur medici, qui tecum ſentirent, tuiq; ſimiles eſſent, & tantum ueritati tribuerẽt rationibuſq; cederẽt, facile enim tota ipſa ars medica, ab omnibus quibus nunc plena eſt erroribus abuſibuſq; expurgata, ſincera, et integra ſtudioſis, artiſq; ipſius amatoribus ſeſe amplectandam exhiberet. Sed magna proch dolor medicorũ pars & inter hos ipſos, etiam nonnulli qui celebriores haberi uolunt, tam mala ac peruerſa perſuaſione ducuntur, ut cum prioris ætatis medicis (quos etiã indoctos fatentur) errare tamẽ etiam in manifeſtiſſimis rebus malint, quã à recẽtioribus ueritatẽ audire: adeo pertinaci ac ſuperbo animo prædui ſunt

Tu uero cum ueritate ac ueteri medicina nihil habeas antiquius, omnia ad ueritatis & rationis normam expendis, & in nullius uerba iuratus, ueritati uni assidue insistis. Quam ut prõptius expediatiusq; consequaris, non modo ueterum, sed recentiorũ quoq; omnium scripta relegis: summo iudicio quæ est ingenij tui dexteritas, expendis: & quod in ijs ueritati consonum est amplecteris. Quod ut optimo consilio, summoq; animi candore facis, ita nescio an bene quoq; me in illorũ numero habeas, qui de rebus, dubijs aut obscuris iudicium prome re posit. Paucorum hoc est donum, à nemine temere usurpandũ: quod ut mihi neq; uindico, neq; arrogo, ita liberum esse puto de ijs factitijs rebus, de quibus aliquando paucis uerbis tecũ egi, sententiã meã, tibi, ut mihi postulare uisus es, explicare. Sũt autẽ eæ potissimũ hæ: Far, Chondrus, Tragus, Prisana. Crimnon & Alica, quæ à recentioribus nostræ ætatis medicis aut ignorantur, aut temere cõfunduntur. Sequar autem in hac tractatione, non peculiarem aliquem ordinem, sed prout quæq; res sese obtulerit eam explicare conabor. Primum igitur de Farre agemus.

DE

DE FARRE.

Far ſue peculiare aliquod Frumẽ
ti genus, ſue res quædam ex ce
realibus frugibus apparata: etſi
frumenti genus, quale nam ſit ad
modum obſcure & obiter à ue-
teribus pertractatum eſt. Quan
tum tamẽ ex illorum ſcriptis eruere datur, duplex
omnino Far noſtro iudicio eſt: Naturale unũ, quod
ſcilicet frumẽti eſt genus: Factitium ex frumento
aut Hordeo alterum. De Naturali Farre quod
ſcilicet frumenti eſt genus, aperta ſunt Plinij, &
Columellæ teſtimonia. Factitij meminit apud
Actium lib. nono capite 45. Archigenes, faciendi
eius rationem docens: Item & Palladius lib. pri-
mo cap. uigeſimo octauo, Far Hordei uino conſper
ſum pullis dandum præcipiens. Naturale autẽ
Far quale frumenti genus fuerit, hoc tantum apud
Plinium inuenire datur: Vulgatiſſimum olim ue-
teribus fuiſſe, & primum latio cibum, quo trecẽtis
annis ex frumenti gerere ſolo, Romanos uſos fuiſ
ſe Verrius tradit: culmo eius genicula eſſe ſena:
ſticã ſine ariſtis prouenire: granum eius multis fol
liculis incluſum eſſe, à quibus purgari niſi toſum

non posse, itáque cum folliculis suis crudum olim seri solitum atq; in uaginulis suis ad satus seruari: Hordeo ponderosius esse: inter omnia frumenti genera durissimum & contra hyemes firmissimum: pati frigidissimos locos & minime subactos, uel æstuosos & sitientes: in cretoso etiam & uliginoso posse prouenire, quod ut Columella ait folliculum firmum & durabilem, aduersus longioris temporis humorem habeat. Vocabatur hoc Far apud ueteres Ador, Edor, & frequentissimè semen Adoreum: ab edendo uel quoniam adurebatur ut tostum fieret, ut nonnulli putant. Genera huius Farris Columellæ quatuor sunt: Far Clusinum aut ut alij legunt Elusinum candoris nitidi: Far quod uocatur Venniculum rutilum, atq; alterum candidum utrunq; maioris ponderis quam Clusinum: Quartum trimestre quod dicitur halicastrum, & pondere & bonitate præcipuum fuit. His Plinius quintũ genus annumerat Gallicum: Galliæ quoq; inquit & suum Farris genus dedere, quod illic Brance uocant, apud nos Sandalũ nitidissimi grani, quod fere quaternis libris plus reddit panis quam Far aliud.

De Farre recẽtiorũ uariãt sentẽtiæ. Hermolaus uidetur Far idem cũ Hordeo existimare, ex eo, ut suspicor falsus quod Palladius Farris Hordei me-

minerit:

minerit: uerũ hanc opinionem manifestè redarguit Plinius, Far Hordeo ponderosius scribẽs. Alijs placet esse Chondrum, quod quidem de naturali Farre uerum esse non potest, Chondrus enim res factitia est: ut paulò post ostendimus, ubi & qualiter Farri cum Chondro conueniat docebimus. Probabilior eorum uidetur opinio, qui idem cum Zea Far existimant, quamquam eam tueri pro indubitata non uelim. Vtriq; enim stica nullis aristis uallata: granum multis foliculis inclusum. Deinde quod & non leuiter coniecturam auget qui Zea utuntur, Far (ut inquit Plinius) non habent. Zea item Græcorum propria: Far latinorum. Hoc præterea Græcorum nemo descripsit: illam nemo Latinorum, cum tamẽ utriusq; gentis scriptores Tritici et aliarũ cerealiũ frugũ meminerit. Iam & Farris genera sunt quatuor: non pauciora etiam Zeæ, Typhæ enim & Olyra, ex Zeæ quoq; generibus habentur. Nobis ex Farris generibus esse uidetur, quod Galli Scourgeon, id est, quasi dicas succursus gentiũ (ut interpretatur Ruellius) nominant: frumenti genus macrũ, triste, Hordei similitudine, cuius granũ nõ facile folliculis deglubitur, nullis aristis uallatum, cuius apud agricolas usus cum annonæ præmit inopia: ad Farris enim similitudinem & descriptionem proximè uidetur accedere

accedere: cui autem Farris generi ascribi debeat exactè indicare non possumus. De particularibus enim Farris generibus nostra opinione, certi aliqd statui non potest. Et quis de his rebus in tanta uctc rum breuitate, ne dicam obscuritate, certi quicquã statuere sese posse confidet? Coniecturis certe ma gis opus est, quibus, si uel uti licet, uel fides haberi potest, existimauerim Scourgeon illud, uel Clusinũ uel Venniculum esse. Vt ut est, magis uidetur ad horum, aut saltem ad communem Farris descriptio nem accedere, quam quæ recentiorũ nonnulli pro Farris generibus modo exhibent. Neque enim Di ui Petri frumentum, Clusinum est: aut Gallorum loculare, uel Germanorũ Kernsamen. Venniculũ. Diui enim Petri, nuncupatum Germanis Eincorn, Trachia Brica est. Loculare uero quod Sorgi Itali & Germani aliquot nominant, ex Panici uide tur genere esse. Kernsamen uero idem cum Zeopy ro, quod apud Bithinos ætate Galeni inuentum fu it, ut in capitibus de Brica, Zeopyro & Panico, in nostra de Frugibus Historia, diximus.

Hactenus quidem de naturali Farre, quid factiz tium uidendum relinquitur.

DE

DE FARRE FACTITIO

FAr autem factitium res est, ex frumento, decorticatione, et in grumos contusione apparata. Nihil enim Far hoc aliud est, quam frumentum decorticatum, & in crassiores partes ita comminutum, ut granũ quodlibet, in tres tãtum quatuorue particulas diuisum sit ut Archigenes testatur, cuius extat Farris huius parandi ratio apud Aëtium, sermone nono Capite 45. his uerbis: Frumentum modico tempore aqua madefacito, indeque extractum, ac in pilam coniectũ, ueluti Ptisanam à cortice repurgato, ubi uero corticem exuerit, tollito, ac in sole siccato, deinde manibus tritum donec penitus à cortice fuerit mundatum crassissime molito, ita ut granum unum in quatuor aut quinque partes redigatur, & siccum adseruato. Vsus autem tempore Chondri modo coquitur, & à sanis in cibo sumitur. Parari autem hoc Far ex frumento inquit Archigenes, hoc est ut ego interpretor ex Zea, nam hæc decorticatione potissimum eget, & inter frumenti genera, non postremo est loco. Antiquissimos uero illos Romanos, quos non alio, quam Farre, Frumenti genere, usos trecentis annis Verrius tradit, factitium Far ex naturali siue Farre frumẽto cõfeciſſe ueri

millimum est: indeque factitium idem cum frumẽto nomen habere. Palladius autem, & ex Hordeo, Far fieri olim solitum innuere uidetur, cum ait, Far Hordei uino consperſum pullis primis diebus dandum. Ex quo colligere licet, Far, quando pro re factitia usurpatur, significare posse omne frumentum a cortice suo purgatum, & in crassiores grumos redactum. Qua de causa, & quod apud Germanos & Batauos, (quos Hollandos dicimus) passim ex Hordeo, aut Auena, per decorticationẽ & in grumos reductionem fit (Grupen uocant Germani, Hollandi Gort) Far rectissime latinè dicetur. Apud Græcos in nullo Farris nomen usu fuit, nisi posteriores quosdam, & eos quidem qui in Italia uersati fuerunt, ex quorum numero Archigenes est. cuius de Farre scripta iam retulimus: Sed eius loco Chondrum, Tragum, Ptisanam, alique & nomine & apparatu diuersa habebant, à Farris tamen natura non multum recedentia, ut singulis horum explicatis manifestum erit.

DE CHONDRO.

Hondrus factitiæ rei ex frumento nomen est, & generale uidetur omnium seminum cerealium à corticibus suis mundatorum, quæ in grumos non comminuuntur,

minuuntur, sed integra seruantur: nam & ex Hordeo syluestri bonum fieri Chondrum Theophrastus scribit. Propriè tamen & in generaliori sua significatione, Zeæ granum pistum, & à glumis suis repurgatum significat. Fit autem non ex quauis Zea, sed ex ea, quæ duo grana habet, quam λικόκκον Græci nominant ut Dioscorides testatur. Modum uero faciendi docent Geoponica Cõstantino Cæsari dicata, in quorum tertio, capite septimo, Chondri parandi ratio hunc in modum habetur: Zea tunditur & in feruentem aquam inijcitur, ac præmitur, deinde Gypsum album tusum tenuissimèq; cribratum, & harenæ albissimæ, ac subtilissimæ ad Gypsi partem quadruplum paulatim admiscetur, donec Zea probe repurgetur.

Ex qua præparandi ratione, aliud esse Chõdrum, aliud Far factitium, euidentissimum est: differreq; hæc tantum inter sese, quãtum granum integrum, à seipso in grumos contuso. Chondrus enim Zeæ granum excorticatum solum significat: Far uero idem in grumos contusum.

Cæterum Chondrus uaria quoque nomina habet: uocat enim eum Galenus Græcè Chondroptisanen, & Ptisanen Pyrinen id est Triticeam Ptisanam. Et Ptisana quidem appellatur, quod eodem scilicet, & assimili quo Ptisana Hordea-

cea

Hordeacca tundatur & mundetur modo. Triticea uero cognominatur, non quod ex Tritico fiat hoc enim decorticatione nulla eget, sed ideo quia Zea etiam ex Tritici generibus habetur: uel quod Zeæ granum cortice exutum Tritici grano assimile uideatur. Vnde & Galenus Chondrum primo de alimentorum facultatibus ex Tritici genere esse dixit, quod non aliud sonat, quam ex Triticeo genere eum parari. Aëtius inter Græcos celebris quoque Medicus, Chondrũ etiam χόνδρον ἄλικος id est, Alicæ Chondrum nominat, Alicæ nimirum quandam esse speciem indicare uolens, quod qua occasione, aut ratione ab illo factum existimem suo loco referam. Latinis creditur à recentiori bus Alica nominari, & est quidem quædam eius species, sed cum multa Alicæ sint genera, contusionis magnitudine differentia, non potest haud dubie Chondrus omnino idem quod Alica esse.

Quamobrẽ etiã eorum sententiã nõ probo, qui pro Græca dictione Chondrus, Alicam simpliciter Latine reddunt. Alicæ enim multo latior est significatio, quam Chondri. In longe autem maiori errore uersantur, qui naturale aliquod frumenti genus, Chondrum esse existimant, & rem factitiam esse negant: aut qui duo genera Chondri faciunt unum natiuum, aliud factitium: nam omnis

Chondrus

Chondrus res factitia est. Neq; obstant, quæ adducuntur ab imperitis quibusdam argumenta, ex scriptorum aliquot ueterum locis deprõpta, in quibus Chondrus cum Tritico alijs q; frugibus inter alimenta boni succi numeratur: nam omne quod inter frumentacea numeratur, non statim peculiare aliquod frumenti genus est: ita enim & Ptisana & Amylum naturalia essent frumenti genera, cum Tritico enim alijsq; similibus frugibus ueluti Chondrus subinde numerantur, quæ tamen factitia esse & arte parata nemo dubitat.

DE TRAGO.

TRagus, res quoq; ut Chõdrus, factitia est, ab eo tãtum differens, quantum Olyra à Zea discrepat. nã ueluti Chõdrus ex Zea, ita Tragus ex Olyra conficitur. Cuius euidentissimum testimonium Galenus primo de alimentorum facultatibus his uerbis exhibet: Ex nobilissima Olyra, cum ut decet decorticata fuerit nominatũ Tragũ conficiunt. Nec nõ Geoponica Constantino olim Cæsari dicata, in quibus Tragi præparãdi ratio, hunc in modum habetur: frumentum Alexandrinum dictum, maceratur decorticatur q;, & in sole calido siccatur, deinde idem rursum fit, donec et pelliculæ & quicquid fibrosum est in frumento delabatur, atque sic siccandus, & reponendus Tragus

gus ex generosa Olyra est. Dicitur autem Tragus hic, cognomento frumentaceus, ad differentiam eiusdem nominis herbæ & animalis, non autem quod naturale aliquod frumenti genus sit, nam ut diximus omnis Tragus ex Olyra fit: neque enim ullum est naturale frumenti genus, quod propriè Tragus dicitur: quanquam nonnulli fuerint, ex quorum numero etiam Plinius uideri quibusdam posset, qui Tragum peculiare aliquod frumentum, genere cum Olyra idem existimant, specie autem diuersum. Quorum sententiæ me ideo non mouent, quia horum opinionem Galenus non recipit, sed manifeste reijcit, Tragum ex Olyra fieri testatus: ut & ipse Plinius libro decimo octauo, capite septimo satis innuit, ex Tritici semine eodem quo Ptisana modo, Tragum in Aegypto, & Campania fieri scribens. Cæterum quod hic à Plinio, Tragus dicatur ex Tritici semine fieri, aut à Constantino ex frumento Alexandrino, nihil pugnat cum his quæ diximus: nam Olyra (quæ Dioscoride teste Zea quædam species est) a latinis Arinca nuncupata, ex Tritici quoque generibus est. Triticum enim subinde generaliter, ut apud Iurisconsultos, sumitur pro quouis cereali semine quod in panes cogitur. Eadem uero & frumentum Alexandrinum non improprie nuncupa-

tur,

tur, in Aegypto enim cuius metropolis & caput Alexandria est, Olyræ facilis, & fertilis ut Plinius inquit, prouentus est: & Zea eo loci, nec non Far, eodem authore, citißime in eam conuertitur. Res igitur plane factitia Tragus est, Chondro substantiæ ratione propinquus, quandam eius figuram, & similitudinem gerens, ut Dioscorides ait: Tanto deterior, & in nutriendo minus potens, quanto in bonitate Olyra à Zea superatur.

DE PTISANA.

Tisana ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, hoc est purgare, aut pinsendo decorticare, dicitur; & commune est omnium frugum nomẽ purgatarum, & á corticibus suis mundatarum: atque hinc Zeæ granum purgatum χονδροπτισάνη Chondroptisane, ἐξ ἀλφίτων πτισάνη πυρίνη nũcupatur, & ex Olyza Ptisanam Italos conficere scripsit Plinius. Proprié tamen, & in simpliciori nominis usu, Ptisana Hordei granũ decorticatũ, & à glumis suis repurgatũ, quod pinsendo ac tundẽdo fit, significat. Neque ad hoc multis opus testimonijs, res enim per se clara

clara & manifesta est. Tantum hoc nobis admonẽdum uisum fuit: errare eos grauissime in uictus ratione, qui Ptisanam interpretantur leuiusculũ Hordei excorticati decoctum, ut fere medicorum & officinarum uulgus. Nam Ptisana ipsum Hordei granum excorticatum, atq; purgatum est, quæ cocta atq; ut decet parata, hoc est (Galeno interprete) cum in decoctione quam plurimum intumuerit & postea igne lento per multum ocium in chylum fuerit redacta, laborantibus acutis morbis olim cibi loco dabatur: ut ex Hippocratis libris & Galeni in eosdem commentarijs manifestissimum est.

DE CRIMNO.



Rimnon uocant Græci ut Galenus inquit, maiores Hordei partes, quæ effracta polèta, farinæ eius inuehũtur, quæ uidelicet molæ exquisitissimã tritũ refugerunt: hoc est, crassiores & corpulentiores farinæ partes, quæ à mola perfectè subactæ non sunt. Vnde & ipsum κρίμνον nomen translatũ est, ad rudiorẽ ac crassiorem farinam, cuiuslibet frumenti, siue id antea tostum (ueluti dum polenta ex Hordeo conficitur) siue nõ tostum fuerit, nã & non tosti frumẽti crassior farina. Crimni quoq; appellatione uenit, ut apud Dioscoridem uidere est: ex Tritico enim & Zea Crimnõ fieri scribens, adijcit pul-

tem

tẽ ex Crimno factã ualentius astringere. si Zea ex qua fit, prius torreatur, innuere uolens etiã ex Zea Triticoue nõ tostis, Crimnõ fieri. Quã ob causam Crimon apud Dioscoridem alioq; scriptores nihil aliud est, quã crassa, rudis, et corpulẽtior farina Tritici, Zeæ, Olyræ, hordei, aut alterius frumẽti, quæ extremam, tenuissimam, & perfectissimam, molæ subactionem refugit, siue quæ exquisitissimè trita nõ est. Trituræ siquidẽ solo modo, á farina proprie dicta dissidet. Cæterũ Crimnõ idẽ cũ farre factitio uideri posset (utrunq; siquidem cereale semẽ est cõfractum, non exquisitè tamen mola confectum) si non materia & trituræ modo differrent: his enim duobus dissidẽt. Nam Crimnon fit ex frumẽto non decorticato, aut mundato: Far aũt ex eodem purgato. Hoc non usq; adeo teritur quod farina dici possit: Crimnon uero ueluti farinæ quoddam rudimẽtum est, tenuissima & probè confecta farina, crassius & imperfectius existens.

DE ALICA

ALica, ut inquit Plinius, res Romana est, quæ Pompei magni ætate, nondum in usu fuisse traditur: alioqui, ut ait, non Ptisanæ parus laudes scripsissent Græci, cui sine dubio anteferatur Fit ex Zea, quæ semen dicitur. Tũditur autem granum eius in pila lignea (nam lapidis duritia conteritur)

teritur) donec decorticetur. Vbi autem purgatum est, conciditur iterum medulla, ijsdem quibus mundata est armamentis, & in grumos quosdam crassiores redigitur, qui contusionis magnitudine dissidentes, tria Alicæ genera proferunt: unum grandissimum: secundarium alterum: tertium minimum, quæ cribris separantur, ac discernuntur. Vt horum omnium locupletissimus testis Plinius, libro decimo octauo, capite undecimo est.

Grandissimum Alicæ genus, id est, quod in rari 1
ori cribro manet: huiusmodi sunt grana á corticibus suis mundata, quæ integra adhuc sunt, aut quã minimũ trituræ passa. Hoc genus Alicæ ἀφηρήμα dicitur, quia scilicet illiablatus, & abductus est cortex.

Secundarium ex ijs quæ per cribrum rarius trã 2
sierunt, in altero arctiori manet, nam quæ per primum transeunt, rursus arctiori cernuntur. Huius generis sunt grana in aliquot partes comminuta, non tamen integrè confracta, quale quid factitium far esse diximus.

Tertium & minimum Alicæ genus, cribraria 3
nuncupatur, est quod in tertio mansit cribro angustissimo, & harenulas tantum transmitten-

te,

te. crassior quædam (nostro iudicio) ueluti farinâ, cuiusmodi Crimnon est.

Et hæc quidem eius Alicæ sunt genera, quæ ex Zea fit, & proprie Alica dicitur. Est uero & alia Alica quã Plinius adulterinã nominat, quæ fit, ut inquit, ex Zea quæ in Aphrica degenerat, cuius spicæ latiores nigrioresque, & stipula breuior: quæ nostra opinione eadem cum Olyra est, In Aegypto enim quæ Aphricæ prouincia est (nõ enim Nilus, sed Arabicus sinus Aphricam ab Asia dirimit) Olyra facilis fertilisq;, & ex Zea Farreue degenerantibus prouenit, ut alibi Plinius scribit. Huius autẽ Alicæ, tot etiam sunt genera quot Alicæ ex Zea præparatæ: grandißimum, secundariũ, & minimũ. Ex his autem qualem quantamq; Alica, cum Chondro, Trago, Crimnoq;, quæ apud Græcos passim occurrunt cognationem, & similitudinem habeat uidere, & intelligere cuiuis promptißimum erit: & quia plura eius sunt genera nõ cum uno aliquo solo conuenire, sed ut iuxta contusionis magnitudinem, & seminis diuersitatem differẽtiam sortiuntur, ita etiam cum diuersis quæ apud Græcos inueniũtur similitudinem habere.

Nam primum illud genus Alicæ quæ ex Zea fit, uidetur id esse, quod apud Græcos Chondrus: utrumque enim granum Zeæ de-

decorticatum est, & purgatum: & siquidem Zea, ut Alica fiat, aut præmaceratur aut in feruentem aquam demittitur, quod Plinius non explicat, haud dubie eadem est quæ Chondrus. Zea enim dum ex ea Chondrus fit, in aquam feruentem mittitur, ut Cõstantinus ait. Videtur autem id Aëtius ex posterioribus Græcis medicis omnino confirmare, dum hunc non simpliciter, ut Galenus & alij Chondrũ, sed Chondrum Alicos appellat: nimirum indicare uolens, Alicæ plura esse genera, & eius grandissimum Chondrũ esse. Alicæ igitur quoddã genus idẽ cum Græcorum Chondro est: quæuis tamen Alica Chondrus non est: nam reliqua duo genera in grumos contusa proprie Chondri non dicuntur.

Quod uero ad secundũ genus attinet, quod secũdariũ dicitur, hoc quia comminutum est, Chõdrus (ut diximus) nominari non potest, sed cum Farre factitio cognationem aliquam habere uidetur: et siquidem Zea & far frumentum idem sunt, ut nonnulli existimant, Alicæ hoc genus secundarium, et Far factitium una eademq; res erunt: si uero aliud Zea, aliud Far naturale, tãtum inter se differreme rito putabuntur, quantum ipsa frumenta, ex quibus conficiuntur, dissident.

An uero secundarium hoc genus idem sit, cum eo quod ab Aegineta ἄλιξ nuncupatur, dignum in

quisitione

inquisitione uidetur, nam quid sit non explicat, tantum aliud esse à Chondro *indicat, pertractatis enim* Chondri *facultatibus statim subijcit:*

ὁ δὲ ἄλιξ τὰ μὲν ἄλλα χόνδρῳ παρέοικεν μᾶλλον δὲ γάστρος ἐστὶν ἐφεκτικός.

id est, Alica *in cæteris quidem* Chondro *assimilis est, sed aluum magis astringit. Ex quibus uerbis manifestum est, aliud quidem à* Chondro *esse, sed tamen non multum ab eo quid alienum, aut facultate dissimile, qua de causa etiam, ut mea fert opinio,* Alica Pauli *eadem est, cum secundaria* Alica Plinij. *Secundaria enim hæc* Alica *grandissimo generi, siue* Chondro *similis, comminuta tantum magis & in minores partes à pistillo confracta.*

Tertiũ Alicæ *genus, idem cum secundario esset, si non tritura & contusionis modo distaret, quo tenuius est, & magis farinaceum. Posset id uideri* Crimnon, *si non* Crimnon *frumenti non purgati, uel cuiusuis alterius rudior farina esset: illud uerò* Zeæ *mundatæ & contusæ tenuiores grumi. Hoc genus* Cribraria Alica *dicitur, quod à cribro angustissimo non transmittatur, sed in eo maneat.*

Poterit autem qui uolet hæc genera perfectius noße Zeæ *aut alterius frumenti grana in pila tũdere, deinde tribus cribris subcernere, quorum unum rarius sit, alterum angustius, tertium angu-*

tißimum,& harenulas tantum transmittens. Et primum quidem rariori cribro uti, in quo quod remanet nec trãsit grandißimo Alicæ generi respõdet. Deinde rursum quæ transierunt, arctiori cernere, per quod nõ transiens secundariũ genus constituit. Postremo quæ per secundarium transmissa sunt in tertium angustißimum mittere, in quo si quid remanet minimo respondebit Alicæ generi. Et hæc quidem tria illa Alicæ sunt genera, contusionis magnitudine distantia.

Adulterina uero Alica, qualis sit ex ijs quæ diximus promptum erit uidere: si enim grandißimum Alicæ ex Zea genus, Chondrus est, adulterinæ certè idem non aliud quam Tragus cognomento frumentaceus fuerit. Tragus enim ex Olyra conficitur, ex qua Alicam adulterinam fieri uerißimiliter demonstrauimus: dein & utriusq; præparandi similis est ratio. Alia autem duo eiusdem genera cũ alterius Alicæ generibus similia sint, similẽ quoq; ad Tragum quam illa ad Chondrum rationem habeant consequens est. Hæc habui Doctißimè Cõpater, quæ de his rebus dubijs & in controuersia medicorum huius temporis positis, plane obscuris & confusis in præsentia adferre potuerim, quæ tibi scripta esse uolui, non quod eruditionis tibi aliquid industria mea accedere posse confidem, sed ut

(quod

(quod mihi optasse uisus es) sententiam meam de his rebus, quoquo modo aperirem: quæ si tibi satisfecerit, & probata fuerit, non erit quod inuidorum aut indoctorum liuorem curem, satis enim mihi, tum fuerit iudicium: qui & uariarum rerum singulari eruditione instructissimus es, & singulari animi candore prædi-tus ueritatis semper fu-isti amantissimus.

Bene uale.

REMBERTI DODONAEI AD D. Ioannem Vischauium apud Bredanos Medicum Epistola de Zytho, & Cereuisia.

CVm te doctissime Vischaui tali et tam candido erga studia conatusque meos affectu præditum esse, cum ex literis tuis omni humanitate plenissimis, tum ex alijs argumentis didicerim, ut omni qualicunq; ingenij mei fœtura oblecteris, & lucubrationū me arum sis cupidissimus, optimeq; de his semper sentias: eaque præterea animi prudentia & integritate donatum esse certo sciam, ut optima sectari, ueritati, & ueteri Medicinæ plurimum tribuere, tibi semper fuerit propositum, non potui præterm itere quin de Zytho, & Cereuisia sententiam meam, ut postulas, tibi aperirem ingenueque communicarem. Potuissem quidem hic pluribus uerbis uti, & in eorum erroribus qui Zythum & Cereuisiam idem esse existimant, & hinc Cereuisiam ueluti in cōmuni uita inutilē damnant, reprehendendis uerborū & temporis nonnihil impendere. Sed quia ueritatē aperire in quaque re mihi magis semper cordi fuit, quam aliorum errores consectari, aut conuellere, relicta illa reprehendendi contentione ad

aliam

aliam rationem me conuertam: Zythum & Cereuisiam res omnino diuersas esse ostensurus. Quod quidem euidens & manifestum erit si parandi Zythi ratio, cum coquendæ Cereuisiæ modo comparetur. Vterque quidem potus ex Hordeo fit: sed Zythum ex Hordeo conficitur putrescente, & acescente: Cereuisia uero ex Hordeo tosto resiccato, et ab omni putrilagine conseruato. Vt enim is potus fiat, quem Zythum appellant, qui à Dionysio in Aegypto primum inuentus traditur, & à Sophocle & Aeschylo ζεύτον dicitur, hordeum in aqua madescat, & putrescat oportet, donec in liquorem uino similem resoluatur. Quam ob causam & acre gustu est, ex putrilagine nempe acescente natum: renes & neruos tentat: cerebrum uestiētibus mēbranis officit: uitiosum succum gignit: inflationem parit: reliquaq; uitia procreat quæ Dioscorides enumerat. Cereuisiæ autem parandæ hæc est ratio: Hordei in Cereuisiarios usus præparati farinæ addita uel Zeæ uel Tritici, ubi præstātiorē Cereuisiam reddere in animo est, cum aqua feruenti aliquandiu subigitur & diligentißime miscetur, dein colatur, & cum floribus Lupuli salictarij ad tertias (plus minus) recoquitur, ac mox ubi refrixerit addita Cereuisiaria fece, quæ fermenti loco est, in uasa ad potus usum reconditur. Quæ

relictæ

relictæ sunt. Hordei & frugum siliquæ in iumentorum & pecudum pabulum cedunt. Hordeum autem hoc modo ad Cereuisiarios usus præparatur: Primum aqua irrigatur totumq; madescit, inde in atrium quoddam frigidum, ad quod nunquam, aut raro admodum sol attingit, spargitur, ubi usque dum germinare ceperit sinitur, ac tum demum in tabulatum quoddã pertusum deponitur, in quo, subiecto igne, sensim fumo torretur ac resiccatur. Vulgo Mout, quasi emolitum, nominant: quod enim molle, lingua nostra Mouter dicitur. Atque hæc quidem est Hordei præparandi, Cereuisiæq; conficiendæ ex eo ratio. Ex qua manifestum & cuiuis apertum est, aliam Cereuisiæ nostræ, & aliam Zythi naturam, & facultatem esse: Cereuisiamq; minimè inflare, ueluti ex putrilagine natum Zythũ, sed potius contra calfacere, resiccare, & abstergere posse: ut quæ acrimonia quadã ac amaritudine prædita sit, idq; tum Hordei tosti ratione, tum Zeæ, uel Tritici, quæ fere ei admiscentur, sed maximè Lupuli salictarij occasione qui manifestè calidus est. Et calfacit aut abstergit omnis Cereuisia non æqualiter: est enim & refrigerans quædam, tenuissima uidelicet, quæ cum minimum frumenti, in coctura admisit, ab aquæ natura non multum permutata, nullius calidæ, aut abstergen-

gentis facultatis participat. Sed quæ multum frumentorum, Hordei Lupuliq; admisit, manifesto calfacit: & si omnino plurimum receperit, etiam tam insigniter abstergit, ut & bilem per aluum & urinas deducat, propter insignem amaritudinem, quam ex copia frumenti nacta est. Qualis est crassa quædam Cereuisia, ex septentrionalibus Germaniæ maritimis ad Batauos & Brabantos aduecta, quam nonnulli, ex admistione quarundam Herbarum medicatarum, ut Absinthij, incoctarum, talem redditam putant, quod uero repugnat: ut à fide dignis Cereuisiarijs coctoribus intellexi, qui mihi affirmarunt, & seipsos expertos esse testati sunt, non aliundæ Cereuisiæ amaritudinem, & abstergendi aluumque deducendi uim aduenire, quam ex Hordei frumentique copia. Quantumcunque autem Cereuisia calfaciat, longè tamen infra boni uini naturam, & temperaturam consistit, à quo & tenuitate substantiæ superatur. Cereuisia enim omnis crassa, & quo melior eo crassior, nisi peruetusta sit: eamque ob causam difficilius descendit, & diutius circa præcordia heret quam uinum. Et hæc quidem ex uitijs eius.

Quod uero ad facultates attinet corpus probè alit: succum gignit non malum: caput autem tentat,

tentat, si liberalius sumatur, sed id non sui ratione, sed propter Lupulum salictarium maiori copia in coctum. Neruis autem & membranis tantum abest, ut obsit, ut etiam ipsos malè affectos roboret: nisi acorem quendam contraxerit: aut alias admistione quarundam peregrinarum Herbarum, aliarumue rerum, à communi consuetudine fuerit trãsmutata (ut nonnulli Cereuisiarij coctores frumento parcentes, in pernitiem multorum faciunt) tunc enim pro qualitate, quam accepit, in corpore uaria symptomata excitat, subinde etiam pernitiosa.

Et hæc quidem de Cereuisia, & Zytho. Sententiam autem nostram de leguminibus, non est quod hoc loco rescribam cum omnem hanc materiam in nostra de frugibus historia, latissimè pertractauerim, quam una quoq; cum hac epistola accipies. Vale Mechliniæ.

FINIS.

CATALOGVS AVTHORVM QVORVM TESTIMONIO Rembertus in hisce libris vsus est.

Aëtius.
Apuleus.
Athenæus.
Columella.
Cornelius Celsus.
Dioscorides.
Donatus.
Festus Pompeius.
Fuchsius.
Galenus.
Hermolaus.
Hieronymus Tragus.
Hippocrates.
Homerus.
Iuuenalis.
Martialis.
Messapios.
Mnesitheus.
Pacuuius.
Palladius.
Paulus Ægineta.
Plinius.
Priscianus.
Psellus.
Ruellius.
Scribonius Largus.
Seruius.
Sextus Pompeius.
Theodorus Gaza.
Theophrastus.
Verrius.
Varro.

FINIS.

Admissum per Petrum curtium pastorem diui Petri Louaniensis die 29 Iulij.
An. M. D. LII.